

05 A 497

05

A

497



EX


S
A
R

Vi

N.
S. T.
Deca

In

GE



78
1

I. N. J.
EXERCITATIONUM THEOLOGICARUM

κατασκευαστικῶν
DECIMA TERTIA

De

SACRÆ SCRIPTU-
RÆ JUDICIARIA PO-
TESTATE

Quam

PRÆSIDE

*Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo*

ON. JOH. ANDREA QVENSTEDT

S. Theol. D. & P. P. celeberrimo, ejusdemque p. t.
Decano spectabili, & alumnorum Elect. Epho-
ro gravissimo,

In florentissima Electorali ad Albim Academia,

Publico eruditorum examini submittit

RESPONDENS

GEORGIUS SIMONIS Varallio Hungarus,

In Auditorio Majori horis Antemeridianis

Post natum Christum M. DC. LXII.



WITTEBERGÆ
LITTERIS HENCKELIANIS.



EXERCITIO THEOLOGICUM
NOTATIONES
DIGNITAS
A. C. R. A. S. C. R. I. P. T. U. M.
R. A. T. I. O. N. I. A. P. O. S. T. U. L. A. T. I. O. N. I. S.
T. E. S. T. A. M. E. N. T. I. S.



V. I. O. P. L. U. M. I. N. O. M. I. N. I. S.
P. R. A. E. S. I. D. E. N. S.
N. I. O. H. A. N. D. R. E. A. S. I. E. N. S.
Theol. D. & P. I. celebratissimus
Decano theol. & alumnorum elect. Episc.

794 A 50

In hunc locum
RESPONDENS
GEORGII SIMONIS VALLIS Hungarici
In Auditorio Majoribus
LITTERIS HUNGARICIS
WITTEBERG





I. N. J.

EXERCITATIONUM THEOLOGICARUM

κατὰ σπουδαστικῶν

Decima tertia.

DE S. SCRIPTURÆ JUDICIARIA POTESTATE.

THESIS.

Respond.
Dn. Georgio
Simonis Va-
ral. Hungar.



Scriptura Canonica est Judex, seu potius vox supremi ac infallibilis Judicis, Spiritus S. & norma, quam Judex inferior in dijudicandis Religionis controversiis unice respicere, & juxta quam de illis sententiam ferre debet.

Observ. I. Controversiarum, quæ in Ecclesiâ circa fidem & cultum divinum vel extiterunt unquam, vel adhuc futuræ sunt, ad extremum usque diem, judex ἀποκρᾶτορικὸς sive authoritativus, summus, absolutus & independens est solus Deus sive quod idem est, Spiritus S. Patre tamen & Filio, utpote in opere ad extra, non excluso. (In operibus enim ad extra unâ nominatâ personâ Sacrosanctæ Trinitatis, non excluduntur reliquæ. Spiritui S. autem plerumque judicium supremum controversiarum Theologicarum tribuitur, quia in illo revelatio divinæ veritatis terminatur. Hinc Spiritum S. judicem faciunt Christus & Apostoli Joh. XVI. 8. Actor. XV. 28.) Huic namque soli competunt requisita summi judicis, videl. summa in rebus fidei & independens ὑπεροχὴ, eminentia & autoritas, cui nemo jure refragari potest. Solus est omniscius, ἀνα-

Gg

μαρ-



μαρτητ & infallibilis, verax, justus, bonus, ut nullo pacto à vero, aberrare possit, aut à bono & æquo, nulloque partium studio ducatur, & à *προσωποληψία* alienissimus sit. Unde & ab eo nulla datur aut conceditur ad alium provocatio. Hujus unius vox audiri debet ad omnium controversiarum fidei decisionem. Hicque solus partes litigantes in conscientiis convincit, sanabiles ad obedientiam in tempore cogit, contumaciter verò resistentes æternum judicat & damnat. *Talem decet esse judicem* (inquit B. Æg. Hunnius in Exam. Lib. III. Bellarm. de V. D. cap. 3. Tom. II. Oper. Latin. col. 230.) *qui ex sapientia sua perfectione & potestatis plenitudine in rebus fidei promulget & interponat decisivam sententiam, eamque à vero nusquam aberrantem, ad quam recipiendam sub æternæ salutis amittendæ periculo mortalium conscientie adstrictæ sint.*

Observ. II. Vox Judicis supremi ac principalis & norma judicis inferioris seu ministerialis est *S. Scriptura, Prophetica & Apostolica*. In Scripturâ enim & per Scripturam Deus nobis loquitur & suum de controversiis fidei judicium unicè, plenè & perspicuè exponit & manifestat. Per eam, tanquam per ordinarium medium Deus Spiritus S. nos *deducit in omnem veritatem* Johan. XVI. 13. Ad eam, tanquam ad unicam, certissimam, perfectissimam & infallibilem normam nos ablegat obortâ inter nos de credendis vel faciendis controversiâ. Deut. XII. 8. Es. VIII. 20. Et in eâ atque per eam judiciariam suam in Ecclesiâ exercet potestatem, controversias terminando & definiendo. Unde & judicium supremum decisivum Spiritus S. Scripturæ tribuitur, hæcque metonymicè judex summus dicitur, quia est vox & sententia summi judicis. Nam uti in judicio humano idem valet, judex & verbum judicis ore prolatum aut literis consignatum, idemque est, à judice absolvi vel condemnari, & sententia seu verbo judicis absolvi vel condemnari, ita quoque hoc loco idem est, sive dicas, Spiritus S. per Scripturam loquens est supremus judex controversiarum, sive dicas, Scriptura est Judex supremus controversiarum, quia Spiritus S. judicium suum non pronunciat immediatè, sed per Verbum & in Verbo Propheticis & Apostolicis scriptis com-
pre-

prehensio. Spiritus S. judicat per Scripturam πρώτως & ἐξο-
χικῶς, Scriptura ipsa κανονικῶς, Ecclesia Διακονικῶς. Hinc B.
Dorscheus in Thoma Confessore Verit. pag. 29. *S. Scriptura
judicat tanquam judex Canonicus, & per eam Spiritus S. tanquam
judex hypostaticus.* Cum autem nomen judicis sit nomen offi-
cii, quod strictè loquendo non nisi personæ competit, in hac
strictâ significatione S. Scriptura judex dici nequit. Prescius
itaque loquendo judex supremus in Controversiis fidei est
Spiritus S. non exclusis, uti dictum, cæteris personis divinis.
S. Scriptura verò est vox supremi judicis, quâ partibus litigan-
tibus illius de re controversâ sententiâ exponitur.

Observ. III. Est itaque S. Scriptura & norma & judex
Controversiarum Religionis sed diverso respectu. *Canon* est
& *norma*, quia ad eam, tanquam ad infallibilem & certissimam
regulam exigendæ sunt omnes controversiæ fidei ac morum
in Ecclesia & quia judex inferioris ordinis illam unicè respice-
re, atque juxta eam de controversis dogmatibus sententiam
ferre debet, unde à quibusdam appellatur *judex directivus*, re-
spectu habito ad iudicium Ecclesiæ ministeriale, quod mensu-
rat & dirigit, ne à veritatis tramite aberret. Hinc Canonis no-
men obtinet in Scripturâ Psal. XIX. 5. Gal. VI. 16. Phil. III. 16.
& apud S. Patres, *Irenæum*, qui lib. 4. adv. hæres. cap. 69. κανόνα
τῆς ἀληθείας ἀκλινην, *Tertullianum*, qui l. contra Hermogenem,
regulam veritatis, *Basilium*, qui lib. I. contra Eunom. Canonem
recti & normam veritatis, *Chrysostrum*, qui homil. 13. in 2. Co-
rinth. ἀκριβῆ ζυγὸν ἀπάντων καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, exactissi-
mam trutinam omnium & normam & regulam, Scripturam
appellat. Norma inquam est, Controversiarum fidei & regu-
la, Scriptura S. sufficiens, perfecta, adæquata, perspicua. Con-
cedunt quidem in speciem Pontificii, Scripturam esse nor-
mam in decidendis controversiis Theologicis, sed non tota-
lem & adæquatam, verùm partialem, imperfectam & inadæ-
quatam, quæ ad sui complementum in rebus ad salutem ne-
cessariis requirat Ecclesiæ Rom. Traditiones non scriptas, nec
evidentem, sed obscuram. Ast si sufficientiam & perfe-
ctionem vel evidentiam & perspicuitatem iudicii in Scri-

pturâ desiderant Papistæ, jam non aliquid ad formam judicis, aut judicii pertinens, sed attributum saltem requirunt, quod Exercit. IX. & X. evicimus. Judex verò est Scriptura S. quia est vox judiciaria Spiritus S. qui in Scripturâ & per Scripturam judicat, decernit, & definit lites & controversias, quæ circa fidem & religionem in his terris incidere possunt. Frivola ergò est exceptio Becani, in Apolog. pro Judice Controvers. pag. 256. seq. S. Scripturam terminare & definire controversiam de Rom. Pontifice, non ut judicem, sed ut normam infallibilem, cum utrumque de Scripturâ, sed diverso re-
ctu rectè dicatur. *Quanquam* (verba sunt P.N. Hülsemanni licitatis ad F.C. artic. I. cap. I. §. 10.) *judex & norma secundum munem definitionem realiter differant, tanquam causa efficiens ionalis utens instrumento, & instrumentum ipsum. Certum tamen est, in productione effectus, seu definitione & pronuntiatione rei credende, nec aliud officium esse, nec aliam sententiam, nec alium modum pronuntiandi Scripturæ, quàm est Spiritus S.* Omnibus itaque & singulis Christianis non licitum modò est, sed & ex officio incumbit, ut ab omni aliâ autoritate provocent ad Sacr. Literarum autoritatem, tanquam ad supremum tribunal, in quo vox DEI sonat, & Spiritus S. loquitur, ac à quo petenda est divina & infallibilis sententia de omnibus & singulis scitu & creditu ad salutem necessariis. Nec aliter Antiquitas; Augustinus lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentiâ ad Valerium cap. 33. *Ista, inquit, controversia judicem querit. Judicet ergò Christus, judicet cum eo & Apostolus, quia in Apostolo & ipse loquitur Christus.* Idem de grat. & lib. arbitr. cap. 18. ait; *Sedeat inter nos judex Apostolus Johannes & dicat nobis, quia dilectio ex Deo est.* Sumamas, inquit ad Patres Nicænos Constantinus M. apud Theodoret. lib. I. Histor. Eccles. c. 7. *hostili positâ discordiâ ex divinitus inspiratis sermonibus, solutionem questionum.* Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. 7. in fine; *Ipsa Scriptura judice utamur ad res inveniendas.* Basilius M. Epist. 80. ad Eustachium Medic. *Scriptura divinitus inspirata arbiter à nobis constituatur, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis oraculis consona, illis omninò adjudicetur veritatis sententia.* Chrysostomus in cap. 24. Matthæi; *Ex quo, inquit, obtinuit*
hære-

heresis Ecclesias, nulla probatio potest esse vera Christianitatis, neque
refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei
veritatem, nisi Scriptura divina. Confer aureum locum Optati
Milevitani Lib. V. de Schism. advers. Parmen.

Observ. IV. Quando dicimus S. Scripturam esse unicam
fidei & vitæ secundum voluntatem DEI instituendæ normam,
omniumque Controversiarum Theologicarum iudicem in-
fallibilem, non loquimur de omni Ecclesiæ tempore. Nam
etiamsi verbum DEI $\gamma\epsilon\upsilon\kappa\omega\varsigma$ sumptum semper norma doctri-
næ & cultus divini in Ecclesiâ fuerit. Fuit tamen tempus quod-
dam, quo Ecclesiâ instituta & gubernata fuit sine Verbo DEI
scripto, tempus scil. ante Moysen, quo DEUS vivæ vocis tradi-
tione sine Scripturæ adminiculo summam doctrinæ ad salu-
tem necessariæ propagari & conservari voluit. Nec loquimur
præcisè de illâ Ecclesiæ ætate, quâ divinitus revelata doctrina
literis consignari cœpit, sive quâ Verbum DEI $\alpha\gamma\epsilon\gamma\alpha\phi\omicron\upsilon\upsilon$ & $\epsilon\upsilon\gamma\epsilon\gamma\alpha\phi\omicron\upsilon\upsilon$
simul in populo DEI viguit, & Canon Scripturæ sub-
inde aliis atque aliis libris Prophetis & Apostolicis autori-
tate divinâ adauctus fuit. Quanquam nec illo tempore Ver-
bum $\alpha\gamma\epsilon\gamma\alpha\phi\omicron\upsilon\upsilon$ sive oralis vivæ vocis traditio post constitutum
primum Canonem scriptum, qui ex Pentateucho, libro Jobi
& Cantico Moysi constabat, fuerit Religionis norma & princi-
pium, sed sola & unica S. Scriptura, ad quam etiam, tanquam
ad unicam fidei, morum & cultus divini regulam populus Ju-
daicus revocatur, Deuter. IV. 2. 6. XII. 32. Jos. XXIII. 6. Es. VIII. 20
uti Exercitat. IV. de Principio Theol. Observat. I. diximus.
Sed loquimur imprimis de illo tempore Ecclesiæ Novi Testam.
quo omnia ad fidem & cultum DEI necessaria scripta & salu-
bri vigilantia, ut Augustinus alicubi loquitur, collecta in Ca-
nonem redacta sunt, & statuimus, solam S. Scripturam libris
Prophetis & Apostolicis comprehensam, sive, quod idem
est, Spiritum S. in illâ & per illam loquentem, non Papam
Rom. non Patres, non Concilia, non Rationem humanam
non privatam cuiusque Spiritum, seu inspirationem internam
esse summum, ordinarium & infallibilem omnium fidei con-
troversiarum iudicem.

Observ. V. Sub unico illo supremo & independente
judice, alius est inferior, subordinatus, dependens, *Δικαστικός*
seu ministerialis, sive ut in judiciis forensibus vocatur, delega-
tus, scil. *Ecclesia* Matth. XVIII. 17. I. Timoth. III. 15. qui iudex
delegatus collectivè sumptus potest constituere subdelegatos
judices i. e. aliquos ex suo numero Doctores, qui controversi-
am aliquam juxta Scripturæ normam dijudicent, & distingui
ab his, tanquam delegans seu subordinans à delegato seu sub-
ordinato. Hoc ipsum autem inferius iudicium nihil aliud est,
quàm iudicii divini decisivi & definitivi interpretatio, decla-
ratio & annunciatio. Adeoque hic iudex inferior non præto-
riâ potestate sententias dicit, sed officio fungitur interpretis
& præconis. Declarat enim & annunciat, quid per debitam
ἔρευναν, inquisitionem aut indagacionem repererit in Verbo
DEI esse definitum. Ejus itaque iudicio standum est, non ab-
solutè, sed si ex præscripto Legis divinæ, sive Scripturæ pro-
nunciet, nec ulterius obligat in conscientia, nisi in quantum
ostendit, se secundum Verbum DEI iudicare Deuter. XVII.
10. Unde & ab hoc inferiore iudice provocari potest ad su-
preum, non verò vicissim à supremo ad illum. Et uti ad sum-
mum iudicem pertinet sententias universales ferre & propo-
nere, ita inferioris iudicis munus est, iudicium autocraticè
decisivum supremi iudicis reverenter agnoscere, declarare,
præconio suo notum facere, rescripta illa universalia pro cir-
cumstantiarum ratione sincerè & prudenter ad particulares
& singulares casus applicare, quod fit, quando vel ex textu
ipso, vel ex ratione ejusdem, vel ex analogiâ fidei in simili ne-
gotio demonstrat, quid secundum legem scriptam sit de obla-
to aliquo casu sentiendum. Est itaque subordinatus hic iudex
non absolutus, sed ad iudicis summi vocem in Scripturâ so-
nantem adstrictus & alligatus, ejusque iudicium oportet ut sit
ad normam Verbi divini, cui soli DEUS hanc vim *κρίτην*, sive
controversias Religionis decidendi potestatem concessit, di-
rectum & conformatum, ita ut quid circa quæstiones contro-
versas tenendum sit, non tam iudicet, quàm indicet. *Oves mee*
vocem meam audiunt, inquit Christus Joh. X. 27. *Qui ex DEO*
est,

est, verba Dei audit Joh. VIII. 47. Et verò Ecclesia subdita est Christo *ὅτι πάντι*, in omnibus Ephes. V. 24. suum ergò judicium submittit Scripturæ, non præfert, discipulam se profitetur, non magistram Verbi. Scriptura judicat ut norma, ut Verbum redarguens Dei, ut præbens demonstrationem ad conscientiam: Ecclesia, ut index (Deuter. XVII. 9. *Et indicabunt tibi verbum judicii*, i. e. verbum, quod judicat, quo judicium determinatur) ut dignoscens & discernens eos, qui contra faciunt, (ibid. v. 12. *per proterviam*) & ut applicans sententiam Dei ad illos protervè agentes.

Observ. VI. Judex inferioris ordinis alius *publicus* est, alius *privatus*. Publici judicis personam sustinent omnes Doctores & ministri Ecclesiæ legitimè vocati. Privati, singuli fideles. De ministris Ecclesiæ res manifesta est, vult enim Paulus I. Tim. I. 3. ut videant, *ne diversa doctrina doceatur*. Qui autem cavere debent, ne diversa doctrina doceatur, illi possunt & debent de doctrinis judicare, vel potius auditoribus suis judicia DEI in Scripturis proposita indicare, & sacros hæreticorum *ἐλέγχος ἐν τῇ θεοπνευστῶ γραφῇ ἐρευνᾶν*. Hi ipsi verò, uti filium & ductum Verbi divini deserere, ita quoque à veritate deserere & in errores prolabi possunt. Privatos judices diximus esse singulos fideles, peritiâ scil. judicandi de rebus divinis præditos. Unumquemque enim fidelem pro mensurâ doni DEI non quidem de quibuslibet controversiis, attamen de fidei dogmatibus ad salutem necessariis judicare & quid distent æra lupinis, discretionis judicio dignoscere posse & debere asserimus, non ut spiritum suum quisq; sequatur, quemadmodum Pontificii nostras Ecclesias criminantur, sed ut Spiritus Sancti in Scripturis proposito judicio attendat, & ad ejus tenorem omnia examinet, publicam verò decisionem controversiarum Doctoribus peragenda relinquat. Hinc Paulus I. Cor. X. 15. vult suam doctrinam judicari à Corinthiis, dicens; *κρίνατε ὑμεῖς, ὃ φημι*, vos ipsi judicate, quod dico, an scil. licitum sit, agere societatem Ecclesiasticam in idoléo cum idololatriis & simul in Ecclesiâ cum Christianis, confer. cap. XI. 13. I. Thessal. V. 19. inquit; *Omnia probate, quod bonum est,*

est, tenete. Certè, qui debet omnia probare & bonum malo relicto tenere, ille etiam judicandi habet potestatem, sed omnes & singuli fideles &c. E. Respondet Bellarminus: Minorem de Doctoribus tantum, non de singulis fidelibus esse intelligendam. At falsum est, nam 1. ad eos judicium illud pertinet, quos Paulus *fratres* appellat. v. 14. sed omnes fideles sunt ejus fratres. E. 2. alloquitur eos, *quibus alii in Domino præsunt*, v. 12. sed illi non sunt Pastores, nam hi alii præsunt, sed auditores, illis enim alii præsunt 3. quibus Apostolus dicit, quod debeant 1. *agnoscere eos, qui præsunt* v. 12. 2. *indefinenter orare* v. 16. *Spiritum non extinguere* v. 18. 3. *quod bonum est, tenere* v. 19. de illis etiam dicit, quod *debeant omnia probare*, sed ista omnia dicuntur de singulis fidelibus E. *Dilecti*, inquit S. Johannes I. Epist. IV. 1. *ne credite cuius Spiritui, sed donum & ceterum, probate Spiritus, an ex Deo sint.* Hoc loco discretionem spirituum, non præscribit Apostolus solis Doctoribus, seu (ut Romanenses inflato titulo suos indignant) Prælati, sed omnibus Christianis. His enim præcipit, ne credant cuius Spiritui h. e. cuius Doctori, sed ut probeant eos, ex aureâ videlicet veritatis regula, nempe S. Scripturâ. I. Cor. II. 15. *Spiritualis*, i. e. qui Spiritu Dei regeneratus est, eodemque ducitur & regitur, sive ille sit persona Ecclesiastica sive Politica, sive etiam privata, *judicat omnia*, quæ quidem ei ad salutem scitu sunt necessaria. Et certè si hæc commonefactiones non ad privatos pertinent, sequitur, malè fecisse, & in alienam messem falcem immisisse Berrhoenses, qui in negotio religionis etiam Apostolorum conciones cum Scriptura Prophetica conferebant, dijudicaturi, num ita sese res haberet. Actor. XVII. II. qui tamen ob id potius à Spiritu S. laudantur. Cæterum, *cum facultas judicandi hodiè acquirenda studio, nec infundatur per miraculum, ut in primitivâ Ecclesiâ, ideò ratione qualitatis intrinsecæ non sunt omnes (fideles) equè habiles ad dijudicandum, sed illi præcipuè, qui S. Literas didicerunt*, ut docet B. Hulsemannus Cap. XVIII. Breviar. th. XII. confer. illa, quæ diximus Exercit. præcedente Observ. VIII. Ut autem ad rem tam arduam idoneum sit *organum*, quod de rebus fidei judicare velit, requiritur 1. *etatio*

ratis maturitas 2. *Subiecti spiritualitas* (ut is, qui iudicat, sit à Spiritu S. regeneratus 1. Cor. II. 15.) 3. *Cordis devotio & pietas*, hinc, quæ ingeniis sæpè subtilibus, Scripturarum lectoribus indefessis & ab omnibus subsidiis instructis negata sunt, conceduntur intelligenda τῶνς υπῆλοις Matth. XI. 25. 4. *Rationis humilitas*, subjiciens πᾶν νόημα sub obsequium Christi 2. Cor. X. 5. 5. *Mentis illuminatio*, divinitus rogata Eph. I. 18. 6. *à præconceptis opinionibus immunitas*. 7. *subsidiarum instrumentalium famulatus*. Vide Dn. D. Dannhaverum Antichristos. sect. II. artic. II. §. 20.

Observ. VII. Pontificii contendunt, necessarium omnino esse in Ecclesiâ visibile tribunal summum & œcumenicum, sive iudicem aliquem propriè dictum, hypostaticum, ordinarium, summum & universalem in publicâ visibili cathedrâ sedentem, qui exortas inter Christianos de religione lites & controversias omnes peremptoriè dirimat, sententiamque de illis vivâ voce & distinctè ita pronunciet, ut pars litigantium altera se causam bonam, altera, se malam habere & causâ cecidisse evidenter sciat & agnoscat. Et huic Judici pro tribunali illo summo & œcumenico sedenti tribuunt privilegium infallibilitatis, quod scil. suo in iudicio, nec falli possit, nec fallere, & potestatem ἀνωτατοῦ βουου, ut omnes iudicans, iudicetur à nemine, nec ab illo ad alium liceat provocare, vide *Serarium* Prolegom. X. quæst. 2. prop. 1. & 5. *Becanum* Theol. Scholast. Tom. poster. Tract. I. cap. VII. Flagitant itaque auctoritatem prætoriam iudicis in hujus vitæ foro, tum *visibilis*, ut adiri, audire & audiri possit, & vivâ voce sententiam de re controversa ferre, tum *infallibilis*, ne post latam sententiam dubitandi vel dissentendi occasio relinquatur, sed in eâ omnium conscientia acquiescant. Tannerus Jesuita in Colloquio Ratisbon. sess. IX. ita argumentatur; *Si in omni Republicâ benè ordinatâ requiritur aliquis iudex præter legem scriptam tuis in Ecclesiâ, ut potè rectissimè ordinatâ alius etiâ iudex præter Script. admitti & assignari debet, sed verum prius, E.* Ideò autem in Ecclesiâ pariter ut in Republ. requiri præter Scripturâ seu legem scriptam iudicem aliquem visibilem, ait porrò Jesuita, ut tria hæc præstet, quæ Scriptura per se præstare non possit, scil. 1. ut ortâ

controversiã utriusque partis argumenta audiat, inspiciat, examinet, 2. ut sensum legis explicando sententiam ferat & 3. ut potestate coactivã præditus sit & compellere possit suã autoritate transgressores ad obediendum. Hinc illa adversus sanctissimum Dei Verbum convitia Serarii, loc. supra citat. *Scriptura ad causarum auditionem surda, ad examen stupida, ad propriè dictam sententiæ dictionem muta, vicaria Dei judicis perinepta est.* Verum resp. I. autoritas prætorialis de jure divino in Ecclesiastico regimine omninò prohibita est, adeoque antichristiana. II. Judicem esse necessarium controversiis nostris, fatemur omnes. Frustra enim extra Forum digladiantur Actor & Reus. Ast ista prætorialis & infallibili autoritate judicis visibilis, quam Pontificii fingunt, in Ecclesiã opus esse negamus, *partim*, quia sufficienter Deus prospexit Ecclesiæ suæ securitati, directioni & gubernationi per autoritatem & potestatem judicariam tum *principalem* Spiritus S. in Scripturã & per Scripturam loquentem & dominium suum exerentem, tum *ministerialem*, quæ sententiã decisivam summi judicis, Spiritus S. præconio suo notam facit, Scripturamque sequitur, tanquam verissimam, certissimam, perfectissimam & infallibilem omnis judicii normam, cui ipsa subjicitur. *Partim* quia exorto hæretico, qui articulos fidei propriè & in rigore ita dictos atque adeò salutis fundamenta neget vel evertat, non eget homo fidelis indice vel iudice, cujus beneficio primùm discat hæreticum illum errare, ipse enim novit hæresin esse, adeoque eam vitat & damnat, & quidem hoc ipso, quod fidelis est, qui dogmata fundamentalia non solum cognita habet, sed & fide divinã illis assentitur. Et si quã in his, ob mota certamina confirmatione & informatione indiget, præsto est Sacra Scriptura, quam quemvis etiam è communi plebe, quam tum alloquebatur, scrutari jussit Salvator Joh. V. 39. Præsto sunt Doctores Ecclesiæ, quos consulere in tali casu & potest & debet, juxta illud Malachiæ II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est.* III. Si iudicio aliquo infallibili & iudice loquente & peremptoriè lites omnes & controversias dirimente in Ecclesiã opus esset, tum certè Deus

Lites

Literis expressè cavisset, ut judicium ejusmodi semper fieret, ut talis aliquis judex certus esset, & quis & ubi ille semper futurus esset, disertè designasset, jam verò Deus in S. Literis nullum aut judicii aut judicis talis indicium fecit, ne γρὸν quidem ejus uspiam extat. IV. Nusquam est aut reperiri potest inter mortales aliquis autoritate illâ dictatoriâ & ἀυτοπισίᾳ instructus, aut infallibilis judicii privilegio donatus. Quicquid enim dicant Pontificii, hætenus nullus fuit inter eos talis controversiarum judex & Fidei magister, qualem Ecclesiæ necessarium statuunt. V. Cur magis opus est uno summo iudice, quàm optimatibus iudicibus, præsertim cum controversiæ rectius à pluribus, quàm ab uno examinentur & dijudicentur. Sanè Ecclesia antiqua non ab uno aliquo sed ab optimatibus Ecclesiæ in Concilio congregatis certamina Ecclesiastica dijudicari semper voluit & dirimi. VI. *Visibilitas* (quam non solum Colloquutores Ratisbonenses Confessu III. IV. seq. & imprimis Confess. IX. vehementer urgent, sed & Bellarminus lib. III. de V. D. c. 3. Becanus de iudice Controvers. quæst. 2. aliique tanquam primarium argumentum pro larvato suo iudice, Rom. Pontifice jactitant,) ad formalem iudicis aut iudicii rationem nihil facit. Decidit enim iudex non quâ persona est, nec quâ corporeus & visibilis, sed quâ intelligibilis seu per sensum auditus, seu per sensum visus, h. e. quatenus sententiâ definitivam edit sermone vel scripto perceptibilem, sive per auditionem sive per lectionem, hæc quippe media publicandi iudicium, formam ipsam non variant. Hinc non solum iudex nunquam à partibus disidentibus visus potest ferre justam inter illas sententiam, sed & quotidie actu ipso fert, vel per internuncios vel per rescripta. Sic Reges Persarum, qui in publicum prodire non solebant, per internuncios sententiam promulgabant. Per rescripta quoque pronuntiatur in Camera, sive iudicio Imperiali, quod antea Imperatorem sequi consueverat, postea verò Maximiliani I. instituto Francofurti erectum, atque inde Wormatiam translatum, tandem Spiræ figi cœpit Anno 1530. Imò ipse Papa nunquam in publicâ visibili cathedra sedens partes audit, aut iudicium suum publicat.

sed vel per bullam vel præconis vocem. Hinc Dominicus Bannes in secundam secundæ Thomæ fatetur; *Coloratum & visibile esse, planè nihil pertinere ad formale judicis, sed tantum ad accidens subjecti, nec tamen omnis, quod judicat.* Uti ergò in iudicio politico nequaquam audienda pars condemnata, si excipiat, quod injustè condemnata sit, quia Judicem non viderit, aut vocem ipsius non audiverit, sic nec hæretici audiendi, qui ad formam Judicis, quæ Judex est, requirunt ejusmodi accidentia, visibilitatem videl. & illabentiam vocis. VII. Possesse controversiam etiam Theologicam decidi iudice corporaliter aut visibiliter non præsentem patet ex Johan. V. 45. *Nolite putare, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem, est, qui accusat vos, Moses, in quo vos speratis.* Alloquitur Christus Judæos sui temporis. Hos Moses ante aliquot secula mortuus non aliter vel accusare vel judicare potuit, quàm per suam Scripturam. Sic quoque Christo cum Sadducæis disputante Matth. XXII. 31. seqq. Moses controversiam dirimit, etsi præsens non esset. Ibidem inter Christum & Phariseos disputatur, an Christus sit filius Davidis: David corpore absens controversiam determinat, vers. 43. seq. Licet itaque Spiritus S. summus & authenticus Controversiarum fidei iudex visibili specie nobis non appareat, nec articulatam aliquam vocem emittat, non tamen propterea de justitiæ throno deturbandus est, cum iudicium ejus in promptu nobis sit, cujus auspicio & ductu ad terminum cujuslibet de fide controversiæ pervenire valeamus. VIII. Admittimus & nos visibilem in Ecclesiâ iudicem, sed inferiorem seu ministerialem. Ministerium scil. Ecclesiasticum, quod Spiritui S. iudici supremo & magistro invisibili tanquam *ὑποδιδακταλ* & inservit, per *patefactionem veritatis ad omnem conscientiam hominum in conspectu DEI.* 2. Cor. IV. 2. iudiciumque suum Scripturis submittit. De supremo verò & authentico controversiarum fidei iudice hanc conditionem negamus, quod debeat necessariò videri *αὐτὸ προσώπως* & audiri *αὐτοφώνως*. Sufficit nobis, vocem & sermonem ejus audiri ab omnibus in scriptis Prophetis & Apostolicis. IX. Nullus est iudex visibilis unus, cui tota Ecclesia per universum mundum
disper-

dispersa, subjiciatur, sed tantum singulis suæ Ecclesiæ sunt commissæ, nam juxta Cyprianum Epist. 55. *Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* X. Non est necessarium judicis requisitum, ut vivâ voce ipse per se sententiam ita pronunciet, ut partium litigantium altera agnoscat pro se, altera fateatur, contra se pronunciatum esse, & utraque in sententiâ latâ acquiescat, ac præsertim, ut pars condemnata sentiat & fateatur, se justè condemnatam esse. *Nam submissio seu acquiescentia partis condemnatæ ad æquitatem sententiæ nihil quicquam facit, minimè omnium ad naturam & formam judicis, aut officii illius, ut volunt Gretserus, Bellarminus, Becanus & reliqui Papistæ. Qualitas enim intrinseca Rei seu partis nihil magis facit ad naturam & formam judicis, quàm scelus latronis aut furis ad constitutionem Romani Imperatoris, ut rectè docet B. Hülfemannus in F. C. cap. 1. §. 4.* Sæpè ulterior adhuc contentio, vel ex ignorantia vel ex malitiâ, ambitione, æmulatione & φιλονεικίᾳ alicujus partis accidit. Quod itaque hæretici non confestim sentiant aut agnoscant, se voce Spiritus S. per Scripturam condemnari, ac stent & acquiescant ejus judicio, illud non est adscribendum judici, Spiritui S. vel obscuritati Scripturæ, quasi ex eâ non satis clara decisio depromi queat, sed cœcitati errantium, nonnunquam eorum pertinaciæ, quod, licet in conscientiis suis convicti sint, se tamen convictos esse negant, & coram mundo dissimulant. Rectè B. Gerhardus Confess. Cathol. Lib. I. Gener. parte I. cap. III. pag. 91. *Distinguendum inter Judicis officium & litigantis vitium. Vincere & convincere est officium justè & prudenter judicantis, victum & convictum se nolle fateri, est vitium pertinaciter & pervicaciter litigantis.* Et licet hæretici in hoc seculo coram tribunali Spiritus S. ex Scripturâ judicati, sese causâ cecidisse pernegent, tamen id vel tandem in die judicii universalis, velint, nolint, æternùm efficaciter sentient. Insuper non omnes inter ipsos Pontificios de Controversiis Theologicis contendentes in sententiâ Pontificis vel Curia Romanæ statim acquiescunt, sed regerunt & regerere jure possunt, quibus sententia displicet, non legitimè latam, sed subreptitiè, per fraudes Curialium

elicitam esse. XI. Perperam Pontificii ea, quæ de judiciis humanis in causis & litibus hujus seculi dicuntur, accommodant ad judicia divina in causâ fidei, neque enim exigendæ sunt rationes Ecclesiæ ad ordinationem Reip. aut politiæ. Aliud est iudicium fori, aliud iudicium Poli. Aliud est Ecclesiasticum ministerium, aliud politicum Regimen & magisterium. Est Ecclesia regnum Christi invisibile & spirituale Joh. XVIII. 36. in quo res geritur non corporalibus sed spiritualibus armis 2. Cor. X. 3. seq. In eo interim conveniunt Respublica & Ecclesia, ut, quemadmodum ex Lege desumuntur judicia in Republicâ, ita quoque ex Scripturâ desumendæ sint singularum controversiarum decisiones in Ecclesiâ. XII. Etiam in rebus humanis benè observat Aristoteles Rhetor. lib. I. cap. 3. *Leges debere, quantum fieri potest, omnia disertè declarare, & quàm paucissima iudicium potestati relinquere.* Et Polit. lib. 3. cap. 12. inquit; *Qui legem dominari jubet, is DEUM & leges dominari jubet, qui verò hominem jubet esse principem, is hominem & belluam principes esse jubet.* Quis itaq; existimet, in perfectissimâ Lege DEI tantam potestatem relinquere Pontificibus, aut, ut Aristotelis phrasi utar, belluis Romanis. XIII. Posito, non concessio, quod ad formam iudiciorum Politicorum debeant exerceri judicia Ecclesiastica, cum autoritate Prætoriâ, negamus tamen consequentiam illam, à potestate Prætoriâ iudicis ad iudicii infallibilitatem, quâ de hîc est quæstio. Sanè non magis sequitur, ejusmodi iudicem Ecclesiasticum esse infallibilem, quàm ex autoritate prætorii iudicis Politici consequens est, eum semper iudicare secundum veritatem. Iudicat enim sæpè prout sibi videtur, non verò prout res iudicari meretur. XIV. Ubi agitur de facto & quæritur, an aliquis id fecerit, vel dixerit, ibi necesse est, ut partium disceptatio audiatur, at, ubi agitur de jure, ut in negotio religionis & quæritur, utrum dogma aliquod sit verum vel falsum, utrum cultus aliquis DEO placeat vel displiceat, id definire iudex potest, partibus non auditis. Imò in iudicio controversiarum non semper necessarium est, ut sint partes litigantes, sæpè enim in Scripturâ exquiritur iudicium Spiritus S. ab illis, qui non litigant, nec partes sunt, sed tantum doceri cupiunt

unt. XV. Non habet quidem Scripturâ potestatem externam
& civilem cogendi immorigeros ad obsequium, quam Papistæ
in iudice Controversiarum exigunt, habet tamen spirituales
& regno gratiæ proportionatam. Cogit non externâ coactio-
ne corporis, sed internâ tractione cordis, quâ Spiritus S. per
Verbum suum homines in conscientiis suis adeò efficaciter &
validè convincit de cœlesti veritate, ut sine omni formidine
contrarii assentiantur & victas quasi manus dent. Matth. VII.
29. Marc. I. 22. Luc. IV. 32, unde & explicatur per ἀναγκασμὸν,
quo aliquis ita efficaciter vocatur, ut quasi compellatur & sua-
viter cogatur intrare & vocationem accipere. Luc. XIV. 23. per
αἰχμαλασίαν quandam seu captivitatem 2. Cor. X. 5. ut per Ver-
bum DEI quasi armis captiventur (est enim αἰχμάλωτς, q. d.
αἰχμῆ ἀλωτς, *hastâ seu cuspide hastæ captus*) cogitationes & con-
scientiæ hominum pervincantur, ut ipsæ tanquam victæ & ca-
ptivæ teneantur imperium & iudicium ejus agnoscere, & cre-
dere etiâ illa vera esse, quæ ratio nō capit, quia verbum DEI ea-
dem asserit. Disceptatur hîc de iudicio discretivo veri à falso,
non Politico, justî ab injusto sequestro. Illius autem finis non
est coactivus, voluntatis humana imperio politico subiectæ, sed convi-
ctivus, conscientiæ ac intellectus, ut assentiatur vero, id quod nullis ma-
chinis politicis impetrabis, facilius hypocritam facturum, quàm fide-
lem, ut rectè inquit Dn. D. Dannhæwerus Antichrist. Sect. II.
art. 2. §. 17. Optimè Augustinus Tom. 4. in Orat. de 5. hæ-
resibus cap. 6. *Non armiger querendus est in hoc iudicio, sed legifer.*
XVI. Habet Ecclesia potestatem coërcitivam, consistentem in
exercitio disciplinæ Ecclesiasticæ, quâ pervicaces & qui convi-
cti legitimè, cedere nolunt, in ordinem redigit & ad summum
â communionem externâ Ecclesiæ eliminat, sed talis coërcitio
ad iudicium controversiarum non pertinet, quia controver-
siæ decisionem jam factam supponit, nec fidem propriè spe-
ctat, sed externum ordinem in Ecclesiâ visibili conservat. Coa-
ctivam itaque ad fidem præter moralem & spirituales, de quâ
2 Cor. X. 4. 5. *Ecclesia nullam agnoscit. (Qui enim proponit
credenda, propriè non cogit, sed suadet,) nec ullam externam
& civilem coactionem adhibet, quâ Ecclesia, sed quâ simul civilis*
qua-

quædam potestas est, ut docet B. Hulsemannus Animadv. in Bel-
larm. Lib. I. de V. D. cap. VIII. th. 33. & 37. XVII. Non est ad
auditionem causarum surda, aut ad propriè dictam sententiæ
dictionem muta Scriptura, quæ Serarii supra notata blasphem-
ia est. Non surda; causam enim quodammodo cogno-
scit, ut patet ex Joh. VII. 51. ubi Nicodemus; *Nunquid lex
nostra judicat hominem, nisi prius audiverit ab ipso & cognoverit,
quid faciat.* Non muta est Scriptura, (nisi in Papatu, ubi pro-
hibetur linguâ notâ loqui,) Loquitur enim & dicit, Marc. XV.
28. Joh. XIX. 24. Rom. III. 19. IV. 3. Loquitur in illâ DEUS
ipse, unde dicitur *vox Dei* Deuter. IV. 30. *verbum quod proce-
dit de ore Domini.* Deuter. VIII. 3. *Verbum Labiorum DEI* Psal.
XVII. 4. *λόγιον τῆς Θεῆς* Rom. VIII. 1. Loquuntur non in pro-
priâ personâ, sed in verbo scripto, Moses & Prophetæ, quos
proinde audire jubemur, Luc. XVI. 29. audiri autem non
possent, si muti essent. Loquitur imò clamat (Paulo teste
Rom. IX. 27) *Esaias non linguâ sed Scripturâ &c.*

Obsery. VIII. Provocant Papistæ ad tempora Veteris
Fœderis, asserentes, voluisse Deum, ut unum aliquod commu-
ne tribunal supremum esset in Israële, à quo omnes peterent
divinæ legis interpretationem, quodque omnes lites & con-
troversias tam religionis, quam civiles infallibiliter dirimeret,
idque patere ajunt ex Deuter. XVII. 8. seq. Ast I. posito, sed
non concessio, voluisse DEUM, ut in populo suo tempore V. T.
esset talis judex, qui lites omnes etiam de religione & fide ex-
citatas infallibiliter decideret, idque ex adducto loco liquere,
ex eo tamen non rectè infertur, Deum illud etiam voluisse in
N. T. Contrarium potius ex eo colligitur, Deum scil. id noluis-
se, nam, si voluisset, expressum etiam de eo mandatum dedis-
set in N. T. uti in V. T. dedisse asseritur. II. Disparis regni
dispar quoque est regimen, diversa autem est ratio regni sive
populi Judaici in V. & Christianorum in N. T. in V. T. re-
gnum erat sacerdotale, in N. est *regale sacerdotium* I. Petr. II.
9. In V. T. Ecclesia unico continebatur populo Judaico, i. e. uni
terræ Judææ adfixo, in N. per universum terrarum Orbem est
diffusa. In V. T. certus erat destinatus locus, in quo judex ille
con-

conveniendus & consulendus erat, Deuter. XVII. 8. in N. T. talis locus certus non est designatus. Si itaque Deus eandem voluisset esse regiminis formam in Ecclesiâ utriusque Fœderis, loco isto diruto alium certum & sublatis illis iudicibus antiquis novum iudicem, ad quem in omni lite Ecclesia confugeret, constituisset, uti in V. T. fecit. III. Controversiæ, quæ Deuter. XVII. ad supremi illius Tribunalis iudicium deferri iubentur, non erant de fide & religione, sed I. *inter sanguinem & sanguinem* h. e. criminales 2. *inter causam & causam* h. e. civiles, & 3. *inter plagam & plagam*, seu *lepram & lepram* h. e. ceremoniales & Ecclesiasticæ. Rectè B. Lutherus Comment. in Deuter. Tom. III. Jenensi Latino, *Non agit, inquit, Moses Deuter. 17. de questionibus fidei, sed de sententiâ publicorum & profanorum criminum, de homicidio, furto, rapinâ.* Patet hoc insuper ex vers. 8. ubi habetur vox יָדוֹן sive iudicii, quæ significat causam jam ante delatam ad inferioris ordinis iudices, atque causa fidei nunquam ad inferioris subsellii iudicem referebatur, sed coram summo tribunali disceptanda erat. IV. Per Iudicem h. l. intelligunt Hebræi & ex Pontificiis Abulensis, Bellarminus & Bonfrerius *principem Sacerdotum*, verum non solum ex v. 12. probari potest particulam hebræam יָדוֹן h. l. poni disjunctivè, *venies ad Sacerdotes Levitas aut ad iudicem*, sed etiam ex re ipsâ. Distinctè enim utrumque ordinem, Ecclesiasticum & Politicum, hîc Dominus exprimit, & distributivè cuique ordini causas ipsius dijudicationi congruas adjudicat. Et licet nomen iudicis in singulari numero ponatur, manifestum tamen est, esse Enallagen numeri, & intelligi simul reliquos iudicii Politici Assessores, unde & vox iudicis, quæ hîc in singulari numero habetur cap. XIX. 17. in plurali legitur, sicut nomine Sacerdotis v. 12. itidem in singulari posito intelliguntur cæteri Assessores iudicii Ecclesiastici, sive magni Concilii, uti & expressè v. 9. Sacerdotes Levitæ in plurali nominantur. V. Nec loquitur Moses de iudicio $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$ & absolutè supremo, sed limitato & ad legem adstricto v. 10. Lev. X. 11. iudices enim illi à DEO constituti non habebant potestatem

prætoriam absolutam & indeterminatam quidvis invenien-
di, statuentique, sed limitatam & restrictam ad doctrinam
Mosis scriptam, velut indubitatam normam, quemadmodum
manifestè litera testatur; *Et docuerint te juxta legem, ubi Glos-
sa Ordinaria; Nota, non dicitur Tibi, ut obedias, nisi juxta legem
docuerint.* Alligatur itaque ad Legem Domini tum Sacerdos,
tum Judex, quomodo nemo negat Christianorum etiam Sa-
cerdotes judices esse. VI. Ex textu liquet, constituisse Deum in
populo suo Senatum aliquem supremum, ad quem causæ gra-
viores totius Judææ vel ex primâ instantiâ vel per modum
appellationis deferrentur dijudicandæ, sed DEUM Senatui isti,
aut Senatus illius supremo præfidi promississe vel attribuisse
judicandi infallibilitatem, eumque de litibus sive Religionis
sive civilibus infallibiliter semper judicaturum, id non modò
non liquet ex hoc textu, sed etiam apertè falsum est. Contrari-
um enim patet ex variis exemplis, Aaronis vitulum aureum
fundentis Exod. XXXII. 1. Uriæ altare Damascenum in tem-
plum introducentis 2. Reg. XVI. 15. 16. Eorum, qui Jeremi-
am, Jerem. XXVI. 8. & Christum, condemnarunt, & variis
Prophetarum querelis Es. LVI. 10. 11. Jerem. VI. 13. Ezech. VII.
16. Et si vel maximè *συνεδρις* magni Præses fuisset in judiciis
suis infallibilis, ab eo tamen ad Romanum Præsulem non va-
let consequentia, nec enim summus sacerdos Judaicus typus
fuit Papæ sed Christi, qui suos Apostolos fecit æquales, hinc
Cyprianus de Unitat. Eccles. *Hoc erant utique & ceteri Apostoli,
quod & Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.*

Observ. IX. Romanenses negant Scripturam S. esse con-
troversiarum fidei judicem. Ita enim Bavarici Jesuitæ in Col-
loq. Ratisbon. confessu VII. & IX. *Nulla modo concedi potest
Scripturam esse judicem controversiarum fidei & religionis Chri-
stianæ.* Et Lorch. Jesuita in fortalio hæres. 5. de Scripturâ;
*Impossibile est, Scripturam S. ipsammet esse judicem dubiorum de fi-
de ac religione Christianâ,* imò in Colloquio Wormatiensi cla-
mare non dubitarunt; *Scripturam non esse vocem judicis, sed ma-
teriam litis.* Ablegatâ itaque Scripturâ S. & deturbatâ de
istò judicariæ dignitatis gradu, Ecclesiam in supremi judicis
thro-

thronum collocant. Hinc Bellarminus dicit, lib. III. de V. D. cap. 3. *judicem veri sensus Scripturae & omnium controversiarum esse Ecclesiam*, Et Jacob. Daventria in refutat. 7. art. Confess. August. inquit; *Catholica Ecclesia post DEUM certissimus & supremus judex est in terris super ea, quae de rebus dubiis, de Fide, de moribus determinari debent.* Cordubens. artic. 2. cap. 80. *In proponendis fidei dogmatibus & dirimendis fidei controversiis Catholicae Ecclesiae traditio est rectissima regula.* Verum I. ineptè pro ejusmodi supremo & autocratico iudice Pontificii Ecclesiam substituunt, cum in hac materiâ quærat, quo iudicio illa stare debeat in controversiis fidei. Ecclesia ipsa est corpus regulandum, ergò regula esse nequit. Relinquimus interim Ecclesiae veræ suum etiam iudicium in articulis controversis, sed subalternum & restrictum ad S. Scripturam, ceu vocem summi iudicis Spiritus S. conjunctum cum aliquâ autoritate officii & muneris. Ipsi verò ac imprimis Romanæ, Apostaticæ & A catholicæ Ecclesiae, quæ hîc in jus vocatur, iudicium *αὐτοκρατορικόν* & supremum planè denegamus, hocq; non penes Ecclesiam, sed penes solam S. Scripturam sive Spiritum S. in Scripturis loquentem esse, constanter docemus. II. Augustum quidem Ecclesiae nomen à Pontificiis obtenditur, sed Pontifex unus intelligitur, ut ex ratione *analysis* Jesuitis præsertim frequentatæ, manifestum est. Rogati enim, quid per Ecclesiam intelligant, respondent, se non intelligere Ecclesiam ovium, seu auditorum, sed pastorum, sive Doctorum. Rogati rursus, an intelligant quosvis Pastores & Doctores, recurrunt ad Ecclesiam suam repræsentativam i. e. ad larvatos Episcopos atq; purpuratos Romanæ Thaidis parasitos, in Concilio congregatos, quos tamen ipsos simul sumptos nec per se, nec per conjunctionem cum Romano Pontifice tanquam parte totius habere dicunt facultatem decisivam cum privilegio infallibilitatis, sed tantum propter dependentiâ ab infallibili Pontifice, tanquam capite. Sic Bellarminus lib. III. de V. D. c. 3. Becanus in Opuscul. & Apol. de iudice controversiarum. Adeoq; Ecclesiae nomen mera larva est, quâ illi primùm quidem Concilium autoritate Papæ coactum, ejusque con-



firmatione obseptum & communitum, ultimò verò ipsum Papam Rom. convestiunt, atque sic illi uni ultimum judicium de fidei controversiis deferunt. Non dif-
fitentur id Costerus in Enchiridio loco de summo Pon-
tif. pag. 149. & Greg. de Valentia tom. 3. in Thomam; *Nomi-
ne Ecclesie*, inquit, *intelligimus ejus caput, Romanum Pontificem.*
Sed Sycophantia est, ait B. Hülsemannus Breviar. cap. XVIII.
thes. 6. *Christianis & ingenuis Disputatoribus indigna, quâ Lectori il-
ludere solent nonnulli Scriptores Pontificii, prætendendo; quod penes
Ecclesiam universalem sit privilegium & autoritas infallibiliter judi-
candi de rebus ad communem salutem pertinentibus ac deinceps re-
stringunt subjectum vel Ecclesiam, de quâ prædicatur hoc privilegium
per ineptam Synecdochen, ad unum hominem, qui sit Romanus Epi-
scopus. Idem animadv. in Bellarm. lib. I. de V. D. cap. VIII. th. 12.
inquit; Universam Ecclesiam resolvere in solos Papæ juratos, vel in
unius Papæ salivam, cujus insipientia citra discussionem credendum sit
ab omnibus fidelibus, ea extrema impudentia est. Pontificem itaque
Rom. *ὄν τῆς ἀπωλείας* sedentem in Templo DEI, tanquam si DEUS
esset, 2. Thess. II. v. 3. 4. Ecclesie nomine intellectum generalem,
ordinarium, summum, infallibilem, ac ut sic dicam, improvo-
cabilem & *αὐτόπιστον* omnium controversiarum religionis fa-
ciunt judicem, ejusque libidini & nutui universam Rempubli-
cam Christianam ita subjiciunt, ut ab illo unice pendeat, quic-
quid in rebus fidei & morum pro certo teneri debet. Hinc in
Colloquio Ratisbonensi tandem his verbis mentem suam
conceperunt Papistæ: *Judex generalis, legitimus & ordinarius o-
mnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in negotio religio-
nis, est Pontifex Rom. sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Con-
cilio generali. Iste judex semper est infallibilis, quando ex cathedrâ de-
finit, ut Pontifex nulli errori obnoxius. Bellarminus lib. IV. de Rom.
Pont. cap. I. Habent quidem, inquit, Concilia tam generalia, quàm
particularia judicium de controversiis religionis, at illud tum demum
est firmum & ratum, cum accesserit summi Pontificis confirmatio,
proinde ultimum judicium est summi Pontificis. Ibid. cap. 2. scribit;
In solo Pontifice & non in cætu Consiliariorum vel Concilio Episcopo-
rum infallibilitatem judicandi residere. III. Idolium illud Roma-
num.**

num ad thronum iudicii de controversiis fidei & religionis ferendi cum elogio infallibilitatis admittere non possumus. (1) quia sine ullâ Sac. Literarum autoritate & testimonio tam augustum & sublime tribunal invadit, ac privilegium illud infallibilitatis, absolutamque de rebus fidei iudicandi potestatem sibi arrogat. Sanè nulla persona, nullus cœtus autoritatem illam divinam sive irrefragabilem potestatem iudicandi, statuendi, decidendi de rebus fidei & religionis pro arbitrio suo sibi vindicare aut potest, aut debet, nisi eam sibi competere aut delatam esse in S. L. evidenter possit ostendere. *Ubi verò Christus talem Pontificatum instituit? rectè quærit B. Schröderus tractatu de iudice Controv. cap. V. ab init. ubi legis, hominem unum aliquem ad istud culmen & summæ dignitatis fastigium erectum, cuius in sententiâ cæteris absolutè & sine omni discussione sit acquiescendum. Ubi nos S. Literæ ad unum aliquem Episcopum, ceu iudicem supremum, cuius calculo ad terminum inquisitionis, ut loquitur Augustinus, in fidei controversiis certò perveniatur, ablegat? Ubi denique sepulta sunt diplomata, è quibus divinum istud officium divinitus sibi delegatum esse, Romanus ille Jupiter conspicuum reddet? Certè non potest Papa potiori jure illa Petri personalia; Tu es Petrus: & Rogavi pro te, Simon & c. sua facere, quàm illud; Vade post me Satana.* (2) Quia Pontifex, ἀνδρωπῶς τῆς ἀμαρτίας 2. Thess. II. 3. non solum personaliter, ut privatus Doctor, in quæstionibus juris universalibus, tam fidei quàm morum, ex ignorantia; nec solum judicialiter, ut Pontifex cum cœtu Cardinalium (qui se Cardines & Principes Ecclesiæ κατ' ἐξοχὴν appellant) vel cum generali Concilio, in quæstionibus facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniisq; hominum præcipuè pendent, (quod concedit Bellarminus de Rom. Pontif. Lib. IV. cap. 2. §. His notatis & Stapletonus Controv. 3. quæst. 4. & Controv. 4. quæst. 2.) sed etiam ut Pontifex cum cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio in condendis fidei decretis & præceptis morum errare potest, & actu ipso multoties erravit ac falsa definivit, id quod Roberti de Sorbonâ Schola disertè profitetur & infinita exempla testantur. (3) Quia plurimi Pontificiorum controversias fidei decidendi potestatem & omni-

modam infallibilitatem ipsi adimunt. Certè haud pauci *ava*
magnoia & infallibilitatem Romani Pontificis oppugnant
ipsi, vel qui eam defendunt, ad fidem ita pertinere non arbi-
trantur, ut qui in contrariâ sunt opinione, hæreseos accusari
debeant. Hadrianus Florentinus Ultrajectensis, ipse postmo-
dum Pontifex istius nominis VI. in 4. sentent. de sacram. Con-
firmat. art. 3. §. Ad secund. princip. ait; *Quod si per Ecclesiam Ro-*
manam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit
errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresin per suam determinatio-
nem aut decretalem asserendo. Ambrosius Catharinus Comment.
in cap. 2. Epist. ad Gal. scribit; *De quolibet alio Papa præter B. Pe-*
trum conclusio sit: Nihil prohibet Papam errare etiam in fide & de-
ficere, etiam si novitii quidam scriptores ausi sint oppositum defendere
præter communem sensum Doctorum. Vide Hallum Opusc. tom. 2.
tract. Nulla pax cum Roma cap. 5. pag. 45. Edit. Genev. ubi plu-
res celebres Papani Papæ fallibilitatem agnoscunt, variosque
errores confitentur. Bellarminus loc. jam cit. §. ult. inquit; *Non*
est propriè hæretica ista sententia (puta, Pontificem etiam ut Pon-
tificem posse errare) Nam adhuc videmus ab Ecclesiâ tolerari, qui
eam sequuntur. Stapletonus ait Controv. 3. quæst. 4. *Hæc senten-*
tia, (Romanum Pontificem, ut privata persona est, tam in fide esse de-
fectibilem, quàm in moribus peccabilem, sed ut persona publica est,
i. e. quando de fide consultus ex officio respondet & decernit, hæreticum
dogma nec unquam hætenus tradidisse, nec tradere posse) nunc apud
Catholicos certa & recepta est, etsi NON DE FIDE. Non est arti-
culus fidei inquit Pean in Abbregè de Controverses Tom. 3.
art. 7. *quod Papa sit infallibilis, nec quod sit supra Concilium universa-*
le & quod non possit esse judex, eò quod Concilia & confessio nostra fidei
eâ de re nihil asserunt, imò quia multi sunt magni Theologi Catholici,
qui iis contraria credunt & docent. Hinc Joan. Georg. Tremellius
olim Jesuita jam A. C. additus in Oratione suâ revocat. pro-
lixè ostendit, totam Pontificum successionem, jurisdictionem, infalli-
bilitatem esse tantum rem probabilem & credibilem ad placitum, non
autem articulum fidei, necessariò credendum ad salutem. Valerianus
M. in Actione secundâ Rheinfelsina disertè propugnat ex solis
S. L. non posse probari, Pontificem Romanum desinentem ex cathedrâ
ba-

habere assistentiam Spiritus S. infallibilem, quod ipsum repetit in Apologiâ contra Imposturas Jesuitarum pag. 24. Quis jam pro infallibili, absoluto & supremo iudice in causâ fidei eliget eum, de quo ne inter suos quidem certum est, an possit errare & hæresin docere, nec ne, adeoque de quo citra hæreses culpam opinari licet contrarium, fatente ipso Bellarmino.

(4) Quia ipsi Pontificii inter se conflictantur de illius infallibilitatis imaginariæ & potestatis judiciariæ sede, sitne penes Pontificem Roman. an Conciliû Generale. Sanè Papam Concilio judicandum subjiciunt & errori obnoxium esse in rebus fidei statuunt, Doctores Sorbonici; Gerson, Jacob. Almainus, Panormitanus, Abulensis, Vigor, aliique multi cum universâ Ecclesiâ Gallicanâ, scil. asserunt & tuentur, Concilium esse supra Papam, & terminum, forumque appellationum supremû, unde & jus provocandi â Papâ ad Concilium sibi reservant. Vide de hac quæstione prolixè agentem Simonem Vigor, Doctorem Pontificium sed Libertatum, uti vocant, Ecclesiæ Gallicanæ acerrimum propugnatorem lib. 4. de statu & reg. Eccles. cap. 3. & 4. confer Joh. Heindr. Othonis Orationem de Causa Jansenitica pag. 31. & notas in eam pag. 55. seq. Cum autem ipsi Papicolæ Pontificem suum papali potestate exuant & thronum judicarium ejus convellant, frustrâ ab illo ultimum & definitivum iudicium expectatur. (5) Cum plures Pontificum Rom. adeò illiterati sint, ut Grammaticam penitus ignorent, ut inquit Alphonsus à Castro Zamorensis Ordin. Minor. lib. 1. advers. hæres. cap. 4. & plerumque Sacrarum Literarum scientiâ quibusvis ex communi plebe longè inferiores, quònam ore soli de rebus divinis iudicium sibi arrogabunt? Excipiant hyperaspistæ Rom. Pontificis, illum non decidere infallibiliter per habitum acquisitum, i. e. cognitionis præstantiam, eruditionem aut ingenii acumen, sed per formam assistentem, i. e. per privilegium personale, solis Petri successoribus concessum, quod est immediata inspiratio & infallibilis assistentia Spiritus S. sed resp. illis, verbis, quibus Augustinus Donatistas in causâ non multum dissimili alloquitur de unitate Ecclesiæ cap. 6. Legite nobis hoc, Papistæ, de Lege, de Prophetis, de Psalmis,

de ipso Evangelio, de Apostolicis literis, legitè, & credemus. Infallibilem Spiritus S. assistentiam & impeccantiæ privilegium in ferendis de fide sententiis Pontifex jaçtat, sed non habet, nulla ipsi de eo facta in S. L. promissio. (6) Quia plerique Paparum sunt Athei, Dæmoniaci, Magi, adulteri, incesti, seditiosi, hæretici, blasphemi, Epicuræi, extremè impii, imò ipsis Sodomitis quandoque nequiores, videatur Szegedinus in speculo Pontificum pag. 75. seq. quis verò, nisi salutis suæ deploratè prodigus, ejusmodi homini, imò non homini, sed, ut Platina appellat in Vitis Pontif. Rom. p. 148. 149. portento & monstro, adeoque Satanae jumento, fidei suæ summam committet? (7) Fervent inter ipsos Pontificios acerbissima prælia & agitantur controversiæ de efficaciâ Gratia divinae, ejusque cum libero arbitrio concursu; de immaculata, quam vocant, conceptione Virginis *Ἰστορία* (cujus decisionem duo Reges Hispaniæ Philippus III. & IV. per Legatos ad Paulum V. & Gregorium XV. frustra urserunt: Decrevit tamen tandem aliquando hodiernus Papa cum Concilio Cardinalium Mense Decemb. præteriti anni 1661, ut immaculata Virginis Mariæ conceptio statuatur & credatur, ita tamen ut nec pro nec contra illam disputetur.) de potestate Pontificis Romæ residentis tam in temporalibus supra omnia mundi regna, quam in spiritualibus supra Concilia œcumenica, atque adeò de ipso judice controversiarum. Si itaque pollet Rom. Papa autoritate dubia religionis infallibiliter decidendi, cur lites illas tot annis agitas non perimit, & litigantes dirimit? Ast ne quidem inter subditos suos prædictas lites sopire hætenus aut tollere potuit supremus ille, sed sine suffragio populi iudex, hinc abundè apparet deliquium autoritatis Pontificis, quam sibi in decidendis quæstionibus fidei controversis vindicat. Sanè quàm fallax, suspecta, & dubia Papæ sit in dirimendis Ecclesiæ litibus autoritas, docent plurima manifesta deliquii & fallibilitatis exempla, & inter alia modernum inter Jesuitas & Jansenistas certamen, quorum hi à Pontifice malè informato ad melius informandum provocant, imò apertè ejus judicium & constitutionem rejiciunt. Taceo alia litigia, in quibus Cadmæi fratres inter se prælia miscent plurima, nullo per de-

cisio-

cisionem Pontificiam adhibito remedio. (8) Quis fuit Con-
troversiarum fidei iudex supremus & ἀντιπένδυνος duobus
vel tribus de sede papali instar vulturum de prædâ digladian-
tibus & censuris in se invicem sævientibus? Quandoque Ro-
mana Synagoga biceps est, quandoque triceps, quandoque si-
ne legitimâ electione (quæ sola legitimum facit Pontificem)
Pontificatum invadit, & per vim atque fraudes occupat Ca-
thedram aliquis Car(di)nalium, num & ille est summus Ju-
dex & assistentiâ Spiritus S. gaudet infallibiliter? aut caret il-
lo tempore iudice Ecclesia? Certè *Papa dubius habetur pro non*
Papa, asserente *Bellarmino* lib. 2. de Concil. cap. 19. ergò & pro
non iudice. (9) Nemo potest esse iudex in propriâ causa; ne-
mo simul iudex est & iudicandus. Nam Imperatorum placito,
generali lege decretum est, neminem sibi esse iudicem, vel jus sibi di-
cere debere. In re enim propriâ iniquum admodum est, alicui licen-
tiam tribuere sententiæ. Cod. lib. 3. t. 5. l. unicâ. At Papa ipse hîc in
jus vocatur, est materia litis h. e. de eo quaritur, annon se ven-
ditans Christi vicarium, sit ejusdem adversarius, tum in do-
ctrinâ, tum in moribus, quam causam ipse nequit cognoscere
aut decidere. *Papa ipse est, quem adulteratæ & depravatæ religio-*
nis accusamus, unde apparet, eum reum esse, non iudicem, nedum
summum, inquit *Lubbertus de Princip. Christ. dogm. Lib. VI.*
cap. 11. (10) Papa est Antichristus, adeoque homo talis, cui
nullum in Ecclesia iudicium competat. Non certè agnoscent
Pontificii Antichristum (quem venturum somniant,) pro ju-
dice in ullâ causa Ecclesiasticâ, non ergò nobis, pari libertate
utentibus, succenseant, partes iudicis & quidem infallibilis
ei neutiquam concedentibus. (11) Subjectum, cui delegata est
à Spiritu S. autoritas iudicandi de rebus ad salutem creditu
necessariis, seu, quod idem est, exponendi, proponendi aut
publicandi sententiam à Spiritu S. in Scripturis jam latam
cum privilegio infallibilitatis, non sunt soli Doctores Ecclesiæ
sive in Concilio sive extra Concilium, neque sunt Christiani
singuli seorsim spectati, minimè omnium autem unus Episco-
pus sive Romanus sive Antiochenus, sive quicumque alius. Nul-
lum enim eorum dictorum S. Scripturæ, quibus facta est à

Christo promissio infallibilis assistentiæ & directionis Spiritus S. in publicandâ & exponendâ Spiritus S. sententiâ habet pro subjecto quod promissionis vel unum Doctorem vel solos Doctores simul sumptos, sed habent pro objecto totum aggregatum Ecclesiæ, sive, totum cœtum fidelium, Doctores & auditores complectentem, Matth. XVI. 18. XXVIII. 20. Joh. XIV. 16. seq. Eph. IV. 11. 12. 13. I. Tim. III. 16. adeoque totius Ecclesiæ judicium est infallibile, quoad objecta creditu necessaria, circa quæ illa simul & semel errare non potest. Jam verò ab infallibilitate Ecclesiæ universalis 1. ad infallibilitatem Synagogæ Romanæ, 2. ad infallibilitatem unius homuncionis, qui dicitur Romanus Papa, non valet consequentia. Hic enim axiomata Ecclesiæ æquali jure sibi arrogat, quo Turcarum Muffti, ut loquitur B. *Hulsemannus* Tr. de auxiliis Gratiæ pag. 237. a. (12.) Procul abfuit veneranda Antiquitas ab illa imaginatione. Si quæ enim controversia oriebatur in Ecclesiâ circa res fidei, in eâ decidendâ pluris non fiebat Papa Romanus, quàm quilibet alius Episcopus & ipse non secus, quàm alii, Conciliorum decisioni & censuræ obnoxius erat, quod etiam Constantiense & Basiliense inter ultima, suis decretis sanciverunt. Uno verbo infallibilitas & controversias decidendi autoritas Pontificia in se prorsus improbabilis est, toti Antiquitati ignorata, posterioribus demùm seculis timidè primùm & per ambages proposita, tandem autem superiori seculo cæteris erroribus & superstitionibus à Pontificiis in cumulum sive animosè, sive desperanter addita. (13.) Oportet summum judicem jurisdictionem universalem in litigantes obtinere, qui eâ lege teneantur jus dicenti obtemperare. Nam *Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti*, ff. de Reg. Juris l. 36. Et juxta illud J. Cti, *Extra territorium jus dicenti, impune non paretur: idem est, & si supra jurisdictionem suam velit jus dicere*. ff. de jurisdictione, l. 20. jam verò quo jure Pontifex universalem jurisdictionem in Ecclesiâ sibi vendicat? Quid juris ipsi in nos est, qui Tyrannidi ejus nos subduximus & ad Christi vexillum confugimus? (14.) Si Pontifex à Christo constitutus est supremus omnium Eccle-

Ecclesiasticarum controvertiarum in hac vitâ judex, frustra sunt & non necessaria omnia illa monita & jussa divina, quibus omnes & singuli fideles obstringuntur ad probandum omnia, ad explorandum Spiritus, an ex DEO sint, ad cavendum sibi à seductione, ab errore, ab imposturis & mendaciis. Frustrâ convocantur & congregantur Concilia. Quorsum enim ista, si judicem aliquem loquentem, visibiliter præsentem & omnia infallibiliter dijudicantem in Ecclesiâ semper habemus? *Sicertius est Papæ judicium, quàm judicium generalis Concilii, aut totius Orbis terrarum, ut inquit alicubi Pighius.* Quid ambagibus fallacibus aut fallibilibus opus est, ubi rectâ ad judicem infallibilem via est. Sufficit hoc unum vivæ vocis oraculum, h. e. sanctissimum istum Patrem, qui omne jus divinum & humanum in scrinio pectoris inclusum habet (ut Canonistæ loquuntur) consuluisse.

Observ. X. Evocant nos quandoque Papistæ ad Tribunal Patrum, sive primitivæ Ecclesiæ post Apostolos Doctorum, eorumque consensum fidei normam aut judicem supremum, infallibilem in quæstionibus fidei controversis esse prætendunt, vide Concilium Trident. session. IV. Can. 2. Bellarm. lib. I. de Sacram. Eucharist. in præfat. Ast licet S. S. Patrum dicta & testimonia S. Scripturæ congrua tanquam fidei sincera suffragia veneramur & amplectimur, & in probandis fundamentalibus præsertim fidei articulis simplicitati Scripturarum ex abundantia, & ut fortius stringamus adversarios, subjungimus, illa tamen pro mensurâ mensurante, normâ & regulâ in stabiliendis fidei pietatisque dogmatibus agnoscere non possumus. *nam (i.) testimonia aut judicia S. Patrum, si non ex scripturis petita sunt, testimonia & judicia humana sunt, & autoritas illorum est merè humana, adeoque argumenta inde deducta pariunt tantum probabilitatem, non verò fidem divinam, quam divino testimonio niti debere juxta nobiscum fatentur adversarii.* Sunt Patres lumina, quorum consensus Christianis cordatis contemptui esse non debet, at non sunt Numina, ut consensus eorum in religionis controversiis pro lege sit tenendus, sunt fidei indices,

dices, non iudices. (2.) Patres non fuisse tutos ab errore, non tantum concedunt Pontificii, sed & ipsi Patres ultrò fatentur. Magnum itaque est periculum, ne consentienter errent, qui erroris imbecillitati omnes & singuli sunt obnoxii. Imò & in quàm plurimis de facto Patres aperte errasse, obscure, perplexè, improprie & periculosè loquutos esse & sibiipsis, aliisque contradixisse, docebunt illi, qui in lectione illorum sunt versati. Nostrum non est, Patrum nuditatè hîc revelare, erroresq; qui passim in scriptis eorum occurrunt, retexere. (3.) Pauca antiquorum Ecclesiæ Doctorum scripta ad nos pervenerunt, plurima interciderunt, multi etiam Patres, præsertim ex antiquissimâ antiquitate parum vel nihil scripserunt. Et quæ adhuc supersunt Patrum scripta, illis multa falsi nominis inter sunt, ut certò constare hæcenus non potuerit, quænam sint genuina & indubia. Multa insuper depravata, mutilata & interpolata sunt. Non pauci quoque Patres leguntur in versionibus, sed hæc haud rarò à textu abeunt & sæpius obscuræ & incertæ sunt. Pro sufficiente itaque norma & supremo Controversiarum iudice scripta & dicta Patrum haberi nequeunt. (4) Numerus & moles scriptorum illorum antiquorum major est, quàm ut quivis literatus (non dicam idiota) iudicis supremi sententiam desiderans, ea vel comparare sibi, vel legere, vel perpetuam cuiusque Scriptoris sententiam rectè indagare & cognoscere, vel omnium sententias, de qualibet fidei controversiâ conquirere & dextrè componere, atque inde solidum eorum consentium & catholicam dogmatum determinationem haurire possit. *Imponeretur sic, ex mente B. Leonhardi Hutleri, sive per ἀναγκαστικότητα. Redonati Lutheri, jugum Ecclesiæ Dei penitus intolerabile & longè gravius jugo Ecclesiæ judaica.* (5) Fidei mensura Verbum Dei est, non Patrum consensus catholicus. Fuit enim aliquando Fides, cum consensus ille demum plantandus esset, nondum plantatus. (6) Novæ subinde oriuntur in Ecclesia controversiæ Patribus indiscussæ, ac proinde ad minimum in illis non possunt esse idonei iudices. (7) Patres sibiipsis tantam auctoritatem abrogant, liberum iudicium sibi sumendo in alios & aliis vicissim in se permittendo,

do, imò & ipsi Patrum autoritate rejectâ ad Librorum Canon-
nicorum autoritatem se recipiunt & se suaque Scripturarum
judicio constanter submitunt. Sic enim Augustinus in Ps. 57.
Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium Codex Dei.
Audi Christum dicentem: Audi veritatem loquentem. Idem lib. 2.
contra Cresconium cap. 31. *Ideò constitutus est Canon librorum*
Canonicorum, secundum quos de cæteris literis fidelium liberè judi-
cemus. (8) Patrum consentientem sententiam esse controver-
siarum judicem est quidem vulgaris sed mera prætensio Pon-
tificiorum, nam α . Patrum autoritatem magnificere non so-
lent, quando illos suæ sententiæ adversari vident, vide B. Dor-
scheum dissertat. de autorit. Eccles. considerat. 1. β . reipsâ o-
stendunt, & apertè quandoque profitentur, *se plus uni summo*
Pontifici credere, in his, quæ fidei mysteria tangunt, quàm mille Au-
gustinis, Hieronymis, Gregoriis &c. Quod summus Pontifex in his,
quæ fidei sunt, errare non potest, sic Cornelius Mussus Episcopus
Bituntinus Com. Epistol. ad Rom. c. 14. pag. 606. Tannerus
Jesuita removens eos omnes, qui judicis aut normæ sufficien-
tis locum in dirimendis fidei controversiis obtinere posse vi-
debantur, Tract. de Judic. Controv. Hypothesi de Patribus 17.
th. 83. quærit; An fortasse S. Patres jam demortui, Patrumque mo-
numenta judices erunt? responderque; Neque hoc, tum quia non
minus aliquando de Patrum, quàm de Scripturæ sententiâ propter
ambiguitatem & obscuritatem dubitari potest, tum, quia singuli
Patres fallere possunt: Omnia monumenta vel non extant vel dubia
fidei esse possunt, tum quia novæ semper oriri possunt controversiæ in
atque quorum Patrum monumentis vix aut ne vix quidem agitata.
Confer. Exercitat. præcedent. Observ. V.

Observ. XI. Haud rarò Conciliorum judicio standum es-
se clamant Papistæ. Ast licet id semper obtinuerit in Ecclesiâ
Christianâ, ut Synodi Provinciales, Nationales, Oecumenicæ
cogerentur ad fidei controversias dijudicandas; licet quoque
in legitimis Conciliis & legitimè procedentibus magnum
semper pondus fuerit ad veritatem & confirmandam & con-
servandam, licet denique eorum *saluberrima sit in Ecclesia auto-*
ritas, ut inquit Augustinus in Epistolâ 3. non est tamen indubi-

tata & ἀντιθέτου, (excipio Concilia Canonica, ab ipsis vi-
ris θεοπνεύστοις celebrata, cujusmodi fuit illud Apostolicum
Act. XV. de quo mox.) ut omnes illorum decisiones tan-
quam ultimæ, absolutæ & independentes, sine ulteriore
disquisitione aut examine ad normam superiorem, sint reci-
piendæ. Omnia ad Lydium S. Scripturæ lapidem probanda
sunt, etiam Generalium Conciliorum decreta. Sententiæ e-
nim in Conciliis (Niceno, Ephesino &c.) latæ nõ creditur pro-
pter ipsamet Concilia, sed unicè propter autoritatẽ Scripturæ,
cui sententiæ, quæ fertur, cõformis est. (2) Multæ cõtroversię sũt
cõpositæ, multæ hæreses extinctæ, quæ ad examẽ Concilii alicu-
jus non sunt revocatæ, quod ipse agnoscit Bellarmin. lib. I. de
Conciliis c. 2. scil. *Ecclesiam potuisse per annos trecentos hæreses re-
futare sine Conciliis.* Magna itaque Conciliorum utilitas est, ad
eruellendam veritatem in subortis disputationibus, non tamen
absoluta necessitas, cum etiam extra Concilium per Scriptu-
ram non minus plenè & planè de quæstionibus fidei judicari
possit. (3) Multæ quoque ad Synodales Conventus relatæ sunt
hæreses, nec tamen in illis illicò sopitæ & diremptæ. Non igitur
in Conciliis situm est firmum illud iudicium, quo contro-
versię omnes componantur, sed in Scripturis S. quibus ipsa
Concilia fasces submittant, necesse est. (4) Concilia in fidei
decretis à veritatis lineã exorbitare & hallucinari possunt.
Sunt enim Concilia congregationes Episcoporum & Docto-
rum, qui, non diffidente Bellarmino lib. II. de Conciliis cap. 2. S.
Ex his, *singuli seorsim errare possunt, & quandoque errant, quidni
& conjuncti ac in unum locum congregati errore implicari
queant?* Rectè D. Maresius, Theologus Batavus in Theolog.
Elencht. Controv. VII. de Conc. General. pag. 284. *Cum unum-
quodque membrum Concilii errori sit obnoxium, ne quidem Papæ ex-
cepto, imò possint, qui conveniunt, ad Concilium Generale à Pontifice
convocatum, esse corde hæretici, ut non planè diffitetur Bellarminus
lib. 2. de Concil. cap. 9. non video, qui possit ex partibus simpliciter homo-
geneis in fallibilitate, totum planè heterogeneum & infallibile consti-
tui.* Certè in multis Conciliis, invalescentibus erronearum do-
ctrinarum ventis, veritas naufragium fecit, ut ex historiis Ec-
cle-

clesiasticis notum est. (5) Debet quidem omnis Synodus *non gladio ignem fodere*, quod ajunt, sed potius Ecclesiae incendium restringere, ast experientia testatur, Concilia omni tempore lites non suffocasse sed accendisse. Notum est Gregorii Nazianz. Epist. 42. ad Procop. judicium. *Ego si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem letum, faustumque vidi.* (6) Intelligunt Pontificii vel antiqua vel recentiora Concilia. Antiqua Concilia nec ipsi Papistæ pro judice summo Controversiarum agnoscunt. Nam teste Bellarmino lib. II. de Sacrament. cap. 25. in fine; *Omniū Conciliorum Veterum & omniū dogmatum firmitas pendet ab autoritate presentis Ecclesiae: Non enim habemus testimoniū infallibile, quod Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc aut illud desinierint, nisi quia Ecclesia, quæ nunc est, & errare non potest, ita sentit & docet. Quod enim Historici quidam meminerint eorum Conciliorum, non potest parere fidem nisi humanam, cui potest subesse falsum.* Hæc ille. Recentiora verò Concilia, vel sunt à Rom. Pontifice confirmata & approbata, vel ejus confirmationem & approbationem nondum indepta. Hæc pro judice agnoscere non possumus, ipsi enim Pontificii largiuntur, Concilia generalia errare posse in decretis fidei, antequam Roman. Pontificis confirmationē nanciscantur, quod prolixè probat Bellarminus Lib. II. de Conciliis cap. XI. confer ejusdem libri cap. VII. VIII. X. XII. XVI. & lib. IV. de Rom. Pont. cap. III. Illa autem Concilia, quæ Romani Pontificis confirmatione obsepta & communita sunt, ab errore libera non esse, & sapius extra veritatis cancellos esse evagata, non difficile esset ostendere. Certè Conciliabulum Tridentinum, verè *σίνodus ἁγίας ἐκκλησίας*, ut dicta olim Ephesina II. tot habet impios errores, quot anathemata strinxit in Protestantes. Porrò quicquid autoritatis, firmitatis & ἀνακαρθησίας habent Conventicula Papalia, id omne à Pontifice Romano est & dependet, jam verò quam firmitatem Conciliis elargiretur præconio suo Papa, de quo necdum inter suos constat, utrum in suis decretis filum veritatis pede certo & inoffenso semper sequatur? Neque sic plus conceditur Concilio generali, quàm cuilibet provinciali aut particu-

ticu-

riculari, aut etiam quorumlibet ordinum Monachalium conventui, nam & hic infallibilis censebitur, si Papa ejus decreta calculo suo approbaverit. Denique quia Concilia à Papâ non approbantur, nisi postquam soluta sunt, sequitur tum demum esse supra erroris aleam posita, quando amplius non sunt, tamdiu verò esse errori obnoxia, quamdiu sunt & habentur. Synodus Tridentina per integros duravit octodecim annos, scil. à 13. Decembr. Anni 1545 ad 4. Decembr. Anni 1563, sed pro infallibili haberi non potuit, priusquam accederet Papalis confirmatio, hæc autem demum prodiit anno 1564. 7. Cal. Jan. ut patet ex Pii IV. Bulla, eam ob rem edita. Ex quibus omnibus sequitur, Conciliorum decreta, sive à Rom. Præsule sint confirmata, sive ejus confirmatione destituta, non esse supremi iudicis sententiam. (7) Si Conciliis & decretis Pontificum standum est in controversiis fidei, cur subinde unus Pontificum vel ex invidiâ vel aliâ levi de causâ alterius decreta abrogat & res gestas rescindit. *Magna fuit hæc controversia & pessimi exempli,* (inquit *Platina*, loquens de Stephani VI. magnâ rabie in mortuum Formosum I. sâvientis factò) *cùm postea ferè semper servata hæc consuetudo sit, ut acta priorum Pontificum sequentes aut infringent, aut omninò tollerent, vide Szegedinum in Speculo Pontificum Rom. cap. IV. pag. 36. seqq.*

Observ. XII. Penes Rationis humanæ dictamen supremum in Controversiis Religionis iudicium situm esse statuit *Sociniana cohors.* Ostorodus *Instit. cap. 6.* Cateches *Racoviana pag. 37. 55. 56.* *Smalcus* in præfat. cont. *Franzium* volunt, *solâ ratione dijudicari possibilitatem & impossibilitatem articulorum fidei.* Et ostendit eorum methodus disputandi contra SS. Trinitatem, Christi personam & officia &c. quod non Scripturam tantum, sed etiam Rationem humanam & vel imprimis faciant Religionis arbitram ac normam credendorum. In libello, autore anonymo anno 1633. in Hollandiâ sparso, qui continet examen libelli Papistici, *Valeriani Magni de Acatholicorum credendi regulâ, & Pontificiorum & nostrâ de iudice Controversiarum sententiâ explosâ,* naturalis ratio statuitur iudex & norma fidei, teste *Vœtio* parte I. *Selectar. disput. p. 1.*
Imò

Imò ipsi *Calvinisæque* licet θεωρητικῶς agnoscant & nobiscum
 contra Pontificios acriter disputent; Ex Script. unicè de rebꝰ
 fidei iudicium petendum esse, tamen πρακτικῶς id non ubique
 observant, sed sæpius rationem immiscent, ipsique mysteria &
 articulos fidei subjiciunt. Vide Dn. D. *Wellerum* parte I. Anti-
 Massonii disp. 4. th. 6. seq. Arminiani quoq; licet Script. unicā
 veritatis amissim esse, hinc, inde prætendant, rationi tamen
 humanæ iudicium de mysteriis fidei committendum censent,
 & committunt, eamq; iudicem faciunt in iis, quæ meræ sunt
 revelationis divinæ, ut demonstrat Dn. D. Calov. in Consider.
 Arminian. c. I. de Script. S. quæst. V. p. 50. seqq. inde *Vedelius* in
 Arcanis Arminianismi lib. I. c. 4. p. 14. seq. colligit; *Arminianos*
præter Scripturam ipsam rationem veritatis normam constituere.
 Ast enim verò Rationi hominis solutæ & sibi relicta, sive quate-
 nus illa suis insistentis principiis sine freno Verbi divini discer-
 rit, & suis λογισμοῖς præter & extra Scripturam fertur & indul-
 get, iudicalem illam auctoritatem, ut scil. possit in quæstionibꝰ
 fidei controversis authenticè & autocraticè iudicare & rem
 controversam decidere, nequaquam deferre possumꝰ. (1) quia
 S. Script. in rebus fidei definiendis nos nullibi ad rationis ju-
 dicium remittit. (2) quia Rationem humanam quâ talem, sive
 ut sic, transcendunt Veritates Theologicæ, & sublimiores sunt,
 (sive materiam spectes, quæ supernaturalis est, & ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ
 λόγον, ὑπὲρ φύσιν καὶ πᾶσαν κατάληψιν posita, sive divinam au-
 thoritatem) quàm ut ad illius trutinam exigì possint & debeant.
 Matth. XIII. 11. 1. Tim. III. 16. 1. Cor. II. 7. IV. 1. Eph. VI. 12. (3) quia
 Ratio hominis sibi relicta est vanitate, erroribus & tenebris
 implicata & obfuscata, circa legem divinam cœcutit, Rom. I.
 21. seq. Eph. IV. 17. 18. circa Evangelium planè cœca est, meræ te-
 nebræ, 1. Cor. I. 23. Joh. I. 5. Eph. V. 8. Et per corruptionem natu-
 ralem ad percipienda religionis mysteria absque divinâ reve-
 latione prorsus inepta est & inhabilis 1. Cor. II. 14. seq. (4) quia
 adversatur & refragatur veritati cœlesti Ps. XIV. 1. Rom. VIII.
 6. 7. (5) quia mysteria fidei, cum ad tribunal Rationis hominis
 ψυχικῶς sistuntur, planè absona, absurda & impossibilia judi-
 cantur. (6) quia præsto sunt exempla eorum, qui rationem in
 divinis consulentes vel errarunt gravissimè vel perierunt mi-
 ferrimè.

Observ. XIII. Judiciarias partes in fidei controversiis S. Script. derogant & interno Spiritui ac instinctui privato tribuunt Libertini, Weigeliani, Enthusiastæ & novi Prophetæ, quos senilis jam atq; delirus mundus juxta Christi vaticiniû Matth. XXIV. 24. extrudit. Hinc Weigel. in Præf. Postil. *Judicium non debetis petere ex Literâ Script. sed ex Spiritu, quia Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Perperam hîc homo fanaticus Spiritû Dei à Dei Verbo secernit, & sua suorumq; somnia Spiritui S. impudenter adscribit. Sed ejusmodi judicium (1) ab ordine inter docentes & discentes divinitus in Eccles. sancito abhorret, 1. Cor. XIII. 29. Eph. IV. 11. seq. (2) Satanæ præstigiis & ludificationi facilè est obnoxium (3) est ex imposturis & mendaciis hominum sæpè conflatum, Jer. XIV. 14. (4) est aliorum judicio & examini subjectû 1. Cor. XIV. 29. 32. 1. Thess. V. 19. (5) S. Scripturæ in quâ Spir. S. sine controversiâ loquitur sæpè è diametro adverstatur. (6) Est Verbo Dei expressè prohibitum; *Vae Prophetis insipientibus, qui Spiritum suum sequuntur* Ezech. XIII. 3.

THESEOS FUNDAMENTA.

I. Act. XV. 28. ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ὑμῖν & c. *Visum est Spiritui S. & nobis & c.*

Nota I. Concilii hujus Apostolici, quod Hierosolymitanum appellari consuevit, occasio fuit οὐραξίς & disceptatio excitata in Ecclesiâ Antiochena v. 2. h. cap. ζήτημα, quæstio, sive res contraversa fuit de Circumcisionis, legisque moralis necessitate ad salutem v. 1. & 5. (neque enim de circumcissione tantum, sed de lege universâ controversia Apostolis à Pseudodoctoribus movebatur! Hinc rectè Lorinus Com. in h. l. *Nomine circumcissionis reliqua lex tota intelligitur, quia erat veluti prima janua & tessera. Quamquam postea ad solam ceremoniam perperam restringat.*) Ad Cōcilium appellatio & Legationis destinatio indicatur v. 2. ipsa Concilii coactio, sive Apostolorum & Seniorum ad discutiendam hanc controversiam congregatio v. 6. hanc excepit ποδὴν συζήτησις, quæstionis discussio ab utraque parte v. 7. Utrunque enim partes fuere audite; Pharisei conversi, sed patroni circumcissionis argumentis tuebantur, illam, ut & reliquam legem fidelibus ad salutem esse necessariam, contra Paulus & Barnabas urgebant, fidem in Christum sufficere ad æternam vitam consequendam. *Variam disquisitionem*

nem

nem sequuta est Petri Apostoli sententia *vers. eod. & seq.* Pauli & Barnabæ interlocutio v. 12. Jacobi, qui creditur fuisse loci Episcopus, *Ἐπίσκοπος* v. 13. *seq.* Decretorum synodaliū collectio per suffragia publica v. 22. Epistola Synodica Apostolorum, Presbyterorum & Fratrum nomine conscripta, v. 23. in quâ Controversia ad Collegium Apostolicum delata summam repetitur v. 24. Legati cum Epistola Synodicâ commendantur v. 25. *seq.* ac universale decretum seu sententia definitiva subjicitur v. 28. & 29. &c.

Nota II. Petrum in hoc Concilio primū dixisse sententiam magno nisu contendunt Pontificii, sed illud in textu expressè non habetur. Præcessit *ἡ συζήτης*, nec primū incepit loqui Petrus, cum sententiam diceret, sed & ante loquutus fuit, licet id à Luca expressè non annotetur. Ast posito, quod Petrus primus sententiam dixerit, non tamen propterea Apostolorum princeps, Ecclesie primas & Concilii hujus præses fuit aut supremus iudex. Nam inter pares audiuntur sententia, nec tamen ille, qui prior dicit, præses est vel iudex, imò sæpius, qui ultimò dicit, & auditis omnibus sententiis definitivâ & *Ἐπίσκοπος* addit, primas & præses est Concilii. Nihil hîc Petrus sibi peculiare præ ceteris Apostolis tribuit, sed iisdem se conjungit, imò ut ex sequentibus patet, ex Jacobi potius, quàm Petri autoritate Concilii decretū statuitur, & valde authenticè loquitur Jacobus ac ut iudex, dicens; Propter quod ego judico, non inquietari &c. v. 19. ad quæ verba Chrysostomus; Quid est, judico ego? Id est, cum potestate dico, esse scribendum illis. unde & Jacobum non Petrum præsidisse huic Concilio & definitivè pronunciasse, inter alios Pontificia communionis agnoscit Abulensis in Matth. c. 17. quæst. 13. ad 1. Et si vel maximè Petrus Concilii Apostolici præses fuisset, inter Petrum tamen & Papam Rom. ingens hiatus interjacet, ut nec à Petro ad Papam, nec ab hoc ad illum argumentari liceat. Petrus actus fuit à Spiritu S. Pontifices quales ut plurimū sint, testatur eorum vita, docet doctrina, novit totus mundus.

Nota III. Jacobus Petri suffragium comprobatur ex solis Oraculis Prophetis, nec prius decretum conditur, quàm Petri sententia à Jacobo à Scripturæ testimoniis esset confirmata. Huic concordant, inquit ille v. 15. verba Prophetarum &c. Non itaque suo arbitratu sed ex Scripturæ præscripto & Verbo Dei judicabant & controversiam hanc decidebant.

Nota IV. Habemus hęc α. summum hujus Concilii præsidem & αὐτοπεύθονον seu infallibilem controversiarum judicem, Spiritum S. Visum est Spiritui S. v. 28. β. Apostolos divinâ autoritate constitutos Doctores, tanquam θεοπνεύστους & omnis erroris securos divini judicii interpretes. γ. Presbyteros Ecclesiæ Hierosolymitanæ non solum tanquam testes negotii Apostolicæ autoritate tractati, sed etiam tanquam judices ministeriales. Et nobis v. eod. i. e. Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesiâ vers. 22. δ. Regulam, normam & mensuram, quam Apostoli sibi in hac controversiâ decidendam sequendam censuerunt, scil. S. Scripturam, ex quâ, uti dixi, S. Jacobus sententiam pronunciat definitivam. Adeoq; in hoc Concilio non nisi ex Scripturis à Spiritu S. inspiratis controversia præsens fuit dijudicata. Falsum ergo quod ait Binius in notis ad hoc Concilium Tom. I. Concil. pag. 2. a. post multam causæ hujus disceptationem non ex Scripturâ, sed suffragio Apostolorum ex judicio Petri principis Apostolorum definitum esse; Neminem Christianorum lege circumcisionis vel ullâ aliâ ceremoniali Judaicâ obligari.

Nota V. In hoc Apostolico Concilio statuendi autoritatem habent Apostoli, sed non soli; Seniores, sed nec isti tantum, verum tota Ecclesia. Tunc visum est, inquit Lucas Apostolis & Senioribus, οὐν ὅλη τῆ ἐκκλησίᾳ, cum totâ Ecclesiâ v. 22. Non excluditur hęc Laicus, aut illiteratus, sed auditores cum doctores conjunguntur. Nec dicitur illos, qui ex plebe aderant, tacuisse, & illic tanquam νεφελεῖς καταστάσεις constituisse, sed demum conticuisse, post auditum Petri suffragium, cui silentio suo assensum præbuerunt v. 12. Falsum ergo, quod dicit Lorinus Com. in h. l. Laicis solum permittum esse consensum tacitum, simpliciter audiendo, non definiendo, ac nec etiam disputando. Nec Presbyteri huic Concilio interfuerunt tantum velut inquisitores veritatis ad disputandum & consultandum, ut inquit Binius loc. cit. sed etiam tanquam controversiæ illius judices, ad decidendum & definiendum, h. e. admittebantur ad ferenda suffragia non solum consultiva sed etiam decisiva, dicitur enim; Visum est Sancto Spiritui & nobis v. 28. h. e. Apostolis & Senioribus & fratribus v. 23. unde & Epistola Synodica non Apostolorum modò sed & Seniorum & fratrum nomine scribebatur. Cum itaque in hoc primo Apostolico Concilio non solum Apostolis, sed etiam Presbyteris committatur controversia, ut de eâ dijudicent, summa iniquitas est, quod

quod hodiè in Papatu soli titulati Episcopi, imò solus Pontifex iudicium decisivum sibi arrogant in rebus fidei. Certè de Presbyteris non minus dicitur, quàm Apostolis, Visum est Spiritui S. & nobis &c. Et decretum vocatur Apostolorum non magis, quàm Presbyterorum cap. XVI. 4. ast hodiè nulli Concilio convenit dicere; Visum est Spiritui S. & nobis, sed; Visum est Spiritui S. & mihi, Alexandro VII. Nullum enim habent Episcopi vel Presbyteri in Concilio congregati iudicium decisivum, seu vocem, quam vocant conclusivam in Synodo, sed solus Pontifex Rom. aut ejus Legatus, id quod ex Concilio Tridentino patuit, ut ex Actis ejus videre est, confer Salmeronem Tractat. 78. Tom. 12. ab init. & Lorinum in b. l. Bellarminum lib. I. de Concil. cap. 15. & 16.

Nota VI. Spiritus S. officium suum judicarium tum in presente, tum in aliis controversiis decidendis executus est, aut exequitur non visibiliter, sed in corde hominum, non per alloquia angelica, quæ simulare lucis angelicæ simius, Satanas facile potest, non per raptus, somnia, ἐν ᾧ ὁμοίως ac immediatas revelationes, quales Scriptura nusquam promisit, sed per κήρυγμα 1. Cor. II. 4. per γραφήν Job. V. 39.

II. FUND. Job. XII. 48. ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματα μου, ἔχει τὸν κρινόντα αὐτόν. Ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα, ἐκεῖν ὃ κρινεῖ αὐτόν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum, sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

Nota I. Per λόγον Cyrillus lib. 8. c. 24. & Augustinus lib. I. de Trinit. c. 12. intelligunt λόγον ὁμοίωτον, Verbum substantiale Patris, i. e. ipsum DEI Filium, sed de λόγῳ θεωρητικῷ, sive ut Athanasius Orat. 5. contra Arianos tom. I. p. 312. interpretatur, de κήρυγματι seu prædicatione hinc agi, sequentia declarant; Sermo, quem locutus sum. Ille verò Sermo est S. Scriptura Canonica, libris Biblicis comprehensa, & quidem Lex, prout luce Evangelii collustrata est, ut loqui amat B. Gerhardus LL. tomo IX. de Extremo Judic. §. 70.

Nota II. De hoc Verbo suo olim prædicato & postea scripto dicit Christus in præsentem, quod judicet, & in futuro, quod judicaturum sit in novissimo die. Ex quo profluunt hæc axiomata: Christus vel Spiritus S. judicat per Verbum, cui semper præsens est. Et Verbum Christi vel Spiritus S. judicat tanquam vox ipsius judicis, quæ sententiam suam de re controversâ partibus litigantibus exponit, & secundum quam omne iudicium institui debet. Cuiusque itaque à DEO ipso partes judicandi tribuuntur, illi etiam à nobis dogmatum & certaminum dijudicatio jure merito est tribuenda, Atqui à DEO ipso Verbo in Scripturis contento partes judicandi tribuuntur, tum hoc loco, tum ἢ. CXLIX. 9. Esa. II. 4. Rom. II. v. 11. E. & per consequens, Verbum DEI est verus & legitimus controversiarum omnium fidei iudex.

Notā III. Excipit ad h.l. Gretserus in Colloq. Ratisbonensi; Loqui hic Christum de extremo iudicio. Verum id nostram sententiam potius confirmat, quàm destruit. Nam si iudicium condemnationis & absolutionis in magno illo censorio die rectè tribui potest sermoni Christi & Verbo DEI in Scripturâ proposito, utique etiam iudicium discretionis de fidei controversiis in his terris ferendo rectè illi tribuitur. Qui erit iudex in novissimo die & iudicabit homines non tantum de moribus, sed, (quod verba Salvatoris apertissimè testantur) de fide & doctrinâ, quam quisq; secutus est, ille idem est iudex in presente iudicio Ecclesiastico & iudicat atq; definit controversias, quæ in dogmatibus fidei ac morum occurrunt. Iudicium enim illud huic respõ debet, imò à parte rei unum idemq; est iudicium DEI, quod in hoc seculo inchoatur, & in novissimo die consummabitur, idem objectum, homo, qui hîc iudicatur invisibiliter, illic condemnabitur visibiliter. Eadem iudicii & condemnationis causa, incredulitas, ob quam hîc damnationi adjudicatur in peccatis mortuus, illic pœnâ afficietur, à mortuis resuscitatus. Hinc Christus verbis conceptis ait; Qui non credit, jam iudicatus est Job. III. 18.

Nota IV. Excipit quoque ad h.l. Barradius tom. 3. lib. 8. cap. 1. p. 462. Verbum iudico aliter hîc sumi, non enim significare iudicis personam agere, sed materiam iudicandi & damnandi præbere. Sermo Christi non custoditus & non creditus iudicat hominem, quia iudicii materiam & causam subministrat damnationis, sed respond. I. Sermo Christi dictus & scriptus iudicaturus est in die πῶντων ἡμερῶν & decretorio incredulos non quidem ut iudex propriè sic dictus, sed ut vox iudicis, iudiciiq; universalis norma, juxta quam pronuntiabitur sententia absolutoria ergà electos & damnatoria contra reprobos. 2. si nemo potest esse iudex, nisi qui sit persona, sequetur, nec conscientiam hominum esse iudicem, cum nec illa sit persona, quod vix concedet Barradius, imò inquit Tom. 3. lib. 6. cap. 6. p. 378. In iudicio conscientia loquetur, accusabitq; hominem vel defendet, juxta illud Pauli Rom. II. 15. Rectè Rupertus Tom. I. Operum statim ab initio præfat. ad Lector. ad h. l. ita scribit; Quis tandem ille est iudex, sermo, quem locutus sum vobis, ille iudicabit eum in novissimo die. Ille inquit sermo, quem audiverunt, quem verum esse, nescire non possunt, utpote magnificis operum testimoniis comprobatum, ille iudicabit eum, ille arguet, ille convincet eum. Ubinam iste talis iudex sedebit, quasi in solio suo, voces aut sententias iudicii sui dabit? Propè aderit, intus sedebit, in conscientia cuiusq; justas sententias terribiliter personabit. Hec ille. Confer. Dan. VII. 10. iudicium consedit & libri aperti sunt.

sunt, & Apocal. XX. 12. Et vidi mortuos magnos & parvos, stantes in conspectu throni & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex scriptis in libris secundum opera ipsorum. Non audio hîc Concilia, decreta, decretales, extravagantes, verbum non scriptum, sed libros, Libros scil. Scriptura, ex quibus omnes iudicabuntur.

III. FUND. Hebr. IV. 12. ζῶν γὰρ ὁ λόγος τῆς θεῆς καὶ ἐνεργητικὸς καὶ κριτικὸς ἐνθυμησέων καὶ ἐννοιῶν καρδίας. *Vivus enim est sermo DEI & efficax — & discretor cogitationum & intentionum cordis.*

Nota I. Per λόγον τῆς θεῆς hîc intelligi non λόγον ὑποστατικόν & ἰσώδην vid. Filium DEI, sed λόγον προφορικόν, Verbum prædicatum & postea scriptum, diximus Exer. VII. Hoc ipsum verò Verbum appellat h. l. Apostolus κριτικὸν ἐνθυμησέων καὶ ἐννοιῶν καρδίας. Non vocat, nec unquam alibi Spiritus S. κριτικὸν, iudicem, cum hoc sit officii nomen & propriè ac strictè loquendo non nisi personæ competat, ut supra observ. 2. insinuavimus, sed nominat κριτικόν, iudicativum, iudicatorium, sive quod ad iudicem spectat, & per quod ac secundum quod iudex suum institueret solet iudicium. Est enim Dei Verbum non tantum medium, per quod Deus abdita & secreta cordium explorat & manifestat, sed etiam norma, juxta quam ea discernit & de bonitate vel malitia illorum iudicat. Dicuntur aliàs κριτικοί. Critici, nomine etiam à Latinis Scriptoribus usurpato, homines acris iudicii, iudicio valentes iudices, severi, & more Censorum minima etiam reprehendentes, ut inquit Ribera Com. in h. l. qui velut artem faciunt de aliorum scriptis, poëmatibus, aliisque operibus iudicandi, ac discernendi, quid probum, quid reprobum, item, quid genuinum, quid verò spurium & suppositum. Objectum, circa quòd illa δύναμις κριτικὴ, diiudicandi vis verbi divini versatur, sunt ἐνθυμησέες & ἐννοίαι καρδίας. Cor fons est & officina cogitationum & actionum. Officinam hanc Deus abdidit adeò, ut etiam imper scrutabilis sit ipsi homini. Vox ἐνθυμησέως in N. T. semper usurpatur de illis cogitationibus, quæ sunt directæ contra DEUM & res divinas, vide Matth. IX. 4. XII. 25. Act. XVII. 29. Hinc per ἐνθυμησέες h. l. Aretius intelligit inventa & cogitationes rationis humanæ, quibus sese tueri conatur & vestire contra iram DEI, fucos assumit, hypocrisin, cultus varios extra V. D. quibus spem suam adjungit, deserto DEO. Ἐννοίαι verò ipsæ sunt λογισμοί, quibus illa conficiuntur, solertia ac sagacitas, quæ excogitamus nobis talia præsidia. Illam sentinam præsidiorum rationis humanæ, illas latebras tenebrarum, hypocriseos, vitiorum, illas interiores conce-

ptio

ptiones & intentiones animi scrutatur, explorat, & sigillatim discutit νό-
 γος ille Dei, ut rigidus & exactus iudex. Hinc argumentamur I. Cui tri-
 buitur iudicium intimarum cogitationum & penetrantium cordis humani,
 illud etiam iudicat de controversiis fidei, quae ab hominibus sunt excogitatae
 & intentae, sed Verbo Dei tale iudicium tribuitur E. Consequentia est firma;
 Si enim Verbum Dei iudicat internas cogitationes, quae non tantum à corde,
 tanquam principio suo oriuntur, sed etiam in corde tanquam res secretissi-
 mae adhuc latent & nondum per exteriora signa vel actus sese manifestarunt,
 multò magis iudicat controversias fidei ex cogitatis cordis jam exortas & per
 externos actus manifestatas II. Cui tanquam iudici omnia, quae de rebus
 divinis cogitantur, debent submitti, illud in rebus divinis & salutis negotio
 habet supremam & iudiciariam potestatem, atqui V. D. tanquam iudici
 omnia, quae de rebus divinis cogitantur, debent submitti E. Minor ex textu
 patet, major est manifesta. III. Quousque se extendunt hominum cogitatio-
 nes & intentiones circa res fidei, eousque etiam porrigitur V. Divini iudici-
 um, (indefinitè enim loquitur Apostolus, & in genere dicit esse *νεῖλον* cogi-
 tationum & c. adeoque nec discrimen facit vel temporis, vel materialium vel
 hominum,) sed cogitationes & intentiones hominum sese extendunt ad omnia
 fidei mysteria, ad omnes controversias, E.

AUTORES.

Videatur B. Chemnit. parte I. Examin. Concil. Trid. de S. Scriptura.
 B. Æg. Hunnius. Tom. II. Oper. Exam. Libb. Bellarm. de V. D. Exam. Lib.
 III. cap. 3. seqq. itemque in Anti-Tannero cap. 2. seqq. B. Gerhardus in
 Confess. Cathol. Lib. I. General. parte I. cap. 2. & 3. & parte II. cap. 2. & 3.
 itemque in Exegesi Loc. I. cap. 22. Joh. Schröderus in Opusc. Theol. de
 Iudice Controvers. D. Rungius in peculiari libello de norma & Iudice
 Controvers. Relig. B. Hulsemannus animadvers. in Bellarm. libros de
 V. D. c. VIII. p. 158. seq. Dn. D. Calov. in system. Theol. parte I. General.
 cap. IV. de Script. quæst. 23. & 24. & in Considerat. Arminianismi cap. I.
 de Scriptur. S. quæst. V. & VIII. Dn. D. Kunadus disputat. peculiar. de
 Jud. Controv. Dn. D. Dannhaverus ἀντιχεισσοφ. sect. II. artic. II. §. 17.
 seqq. Ex Calvin. Chamierus Panstrat. Cathol. Tom. I. de Can. Fidei L. I.
 cap. 13. seqq. Lubbertus de Princip. Christian. dog. L. VI. Rivetus Isag.
 ad Scriptur. cap. 20. & 21. Maresius Theol. Elenctica Controv. II. Num.
 13. pag. 45. seqq. Voëtius Selectar. Disput. Theol. parte I. pag. 1. seqq.
 Cloppenburgius in Syntagm. Selectar. Exercit. III. disput. XI. XII. XIII.
 XIV. & XV.

Qui studio tractat Divini oracula verbi,
Nocturnâ hæc versatq; manu, versatq; diurnâ.
Hic velut ad vivos succrescet florida fontes
Palma, nec ad rapidos Solis torrebitur ignes.
Perge sic & semper florebis Docte Simonis,
Sic reddesque Tuis dulces cum tempore fructus.

JOHANNES ANDR. QVEN-
STEDT D. P. P.

Quis ardor ille visque Numinis magni
Mentem Tuam atque pectus intrat augustum,
Dum celsa scandis pulpita atque doctorum
Temet Virorum contubernio misces?
Est sanctus ardor qui scientiis multis
Sublimiumque fruge plurimâ rerum
Pastus per alta concitator fertur
Sententiis & audientium pectus
Mentemve doctis versat, haud venenato
Parcens furori quo petit minax Phlegra
Summi Tonantis jura. Perge! perge! altâ
Mens imperita contegetur à nocte!

*Eruditissimum Dn. Respondentem, popularem di-
lectum feliciter de arduis disputantem rebus,
Cum voto perennantis felici-
tatis excipiens
scribeb.*

M. MICHAEL UNGERUS
Nemet-Uyvárinô Hungarus.

Laudo conatûs, deque his Tibi pectore toto
Gratulor, & votis annuat, opto, DEUS.
Perge: & sic posthac magno maectatus honore,
Fulgebis veluti fulgida stella Poli.
festin. adponebat patrias oras prope-
diem repetiturus

MELCHIOR GEITNER.

Ne-

Negotiosa luminosi fax poli
Assurgit altius, gyrosque conficit
Nunc ampliores fervido conamine,
Nec cessat, unquam mancipata Murcia.
Tu Solis æmulus Vacunam negligis
Vulgumque spernens alta scandis culmina
Cœli Sophorum, Frater ô charissime.
Heu! quæso pergas. Sic coronam Apollinis
Gestabis & nitebis instar siderum.

*Hec gratulabundus Dni. Resp. Popu-
lari suo deproperabat.*

CASPARUS Schön Eperiens.
S. S. Theol. Studiosus.

Dum de Supremo Scripturae Judice certas,
Incluta pars animi, dulcis Amice mei.
Theologici specimen studii sat nobile pandis
Augusta jungens verba dolata rei,
Namq; DEUS tantum Judex de Judice surgis
Judicium docta qui polit arte tuum.
Gratulor hoc omen nomenque sub omine quærens,
Laurea me veniet Judice celsa tibi.

*Ita gratulatur Contubernali suo in-
tegerimo*

MELCHIOR ROTH Casov. Ungar. SS. Th. Stud.

Bella animosa moves, Sacrique oracula Verbi
Defendis, magno milite digna geris.
Pergito: Militia hæc Tibi commoda mille parabit,
Donabitque comis ferta beata tuis.
Lectaque quæ diro defessa est Patria Marte
Assurget studiis mox ovabunda tuis.
Ipse & ego faustâ pulsabo sidera voce,
Uberior quô Te gratia Diâ regat.

Ita gratulabundus vovebat
JOHANNES BREWER
Leutsch. Hung. Med. Stud.

Popu-
rienf.

Subli
Pafu
Sante
Ment
Pace
Sunt

io in-
Stud.

bat
VER
nd.

05 A 497


ULB Halle 3
004 208 129



007







I. N. J.
EXERCITATIONUM THEOLOGICARUM

κατασκευασθῶν
DECIMA TERTIA

De

**SACRÆ SCRIPTU-
RÆ JUDICIARIA PO-
TESTATE**

Quam

PRÆSIDE

*Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo*

ON. JOH. ANDREA QVENSTEDT
S. Theol. D. & P. P., celeberrimo, ejusdemque p. t.,
Decano spectabili, & alumnorum Elect. Epho-
ro gravissimo,

In florentissima Electorali ad Albim Academia,

Publico eruditorum examini submittit

RESPONDENS

GEORGIUS SIMONIS Varallio Hungarus,

In Auditorio Majori horis Antemeridianis

Post natum Christum M. DC. LXII.



**WITTEBERGÆ
LITTERIS HENCKELIANIS,**

78
1

